
APPIANI ALEXANDRINI HISPANICA & ANNIBALICA.

Latinè nunc primùm edita, ex Francisci Beraldi linguæ Græcæ professoris doctissimi interpretatione.

Huius editionis margini appositæ numerorũ notæ paginis Græci libri respondent, Henrici Stephani typis non ita pridem excusi.



ANNO M. D. LX
Excudebat Henricus Stephanus, illustris viri Huldrici Fuggeri typographus.

GVLIELMO CHRISTIANO REGIO
medico Franciscus Beraldus S.

QVòd in regiorũ medicorũ collegiũ cooptatus, uirtutis & eruditionis tuæ sis amplissimũ fructũ consecutus, lætor sanè & gratulor: atque eo magis quòd id accidit quo tempore accersita in aulam ex omnibus regni partibus inscitia, summæque rerum præfecta, literis & artibus honestis bellũ ἄσπονδον καὶ ἀκήρυκτον indicere cogitabat. Nisi *forte quis id existimet minus admirabile, quòd quũ uel apud inhumanissimas gentes maior semper corporum quàm animorum cura fuerit, honoratiorem esse apud aulicos* Epicureos *medicinam quàm philosophiam, aut theologiam, uulgare sit & longo iam usu receptum.* At *ego in te solo eius rei causam quæsiuero, cui tanta uis inest animi ingeniique ut quocunque loco aut seculo natus fuisses, fortunam (si ita loqui fas est) tibi ipse facturus uidearis.* Nec *uereor ne nimium tibi tribuam, quem uel una* Aurelia *nostra, in qua maxima cum laude multos annos medicinam exercuisti, ereptum sibi meritò dolens, & quasi cum aula expostulans, longe honestiore testimonio sit ornatura.* Sed *quum hoc tempore opibus, gratia, amicis, clientibus abundes, sat scio non defore quibus statim in mentem ueniat suspicari me uulgi more fortunam sequentem (ut ait* Satyricus*) hisce libellis dedicandis astute tibi adulari.* Hoc *quidem certe nostra patrúmque memoria, quanto quæstu, nescio, sed tamen crebro factitatum nouimus, ut docti fere omnes iis solis suos labores dedicarent qui apud* Franciscum *regem gratia atque auctoritate pollebant: eius morte tanquã trunci, quum illi exaruissent, ad alios sub nouo principe, nouo flore splendentes se conferrent.* Quid *quòd nonnulli* ὅμοιοι τῷ κλεπτιστάτῳ Αὐτολύκῳ τῷ τὰ κλεπτόμενα ζῶα μεταχρωννύοντι, *opera sua aliis olim dicata retexuerunt & interpolarunt, ut nouis emptoribus uenderent?* Etsi *autem doctos uiros, quos bonarum artium studium & cognitio à popularium morborum contactu uindicare debet, sic se ad fortunæ nutus ac libidinem circumagere ac flectere turpissimum semper duxi: quòd grauius in hoc peccarent quàm plebs, ut qui suã inconstantiam literis testatam & quasi consignatam relinquerent: tamen, ut hac me prorsus suspicione liberẽ, non necesse habeo pluribus docere, quàm*

ſemper ab eo more abhorruerim. Qui intelliget quanto locorum interuallo abs te diſiunctus ſim ut in poſterum, etiamſi uelis, de me bene mereri ægre poſſis: aut me, ſiquid eiuſmodi ambio, planè inſanire, aut nihil ambire iudicabit. Qui intelliget me primis annis abs te edoctum, ineunte ætate multis beneficiis cumulatum, nihil nunc aliud moliri quàm ut eam quam debeo memoriam tibi præſtem, facile perſpiciet nulla me utilitate amicitiam noſtram metiri. An uerò quæ alios ad ſimulandum amorem impellunt, ea impedimento erunt quominus inueterata iam & officiorum crebritate confirmata coniunctio noſtra cunctis innoteſcat? Doctrina tua, ex qua maximum fructum cepi, & morum integritas me tibi conciliarũt. An quia nunc labore tuo & bonis artibus partæ amplæ opes tibi obtigerunt, ſine adulationis ſuſpicione nullam meæ erga te obſeruantiæ ſignificationem dare potero? Accipe igitur huius rei teſtes (dum te digniora conabimur proferre) duos hos Appiani *libellos, nuper e ſitu in lucem reuocatos, & à me de* Græco *uerſos: qui ſi tibi, homini nullius uel peregrinæ uel domeſticæ hiſtoriæ ignaro, non admodum arriſerint,* Florenti *certe tuò (quo filio mihi tu ſane, ut quondam* Herodoto Olorus *ſuo illo* Thucydide, *pater beatiſſimus uideris) nonnihil tum ad rerum cognitionem, tum animi oblectationem profuerint.* Vale.

APPIANI IBERICA, SIVE Hiſpanica, à Franciſco Beraldo Latinè reddita.

157 Yrenæus mons à mari Tyrrheno ad Septētrionalem Oceanum extenditur. Eius partē quæ ad auroram eſt, incolunt Celtæ, qui Galatæ & Galli cognominantur: quæ occaſū ſpectat, Celtiberi, quātum ſpatii eſt à Tyrrheno mari, ducto per Herculeas columnas in orbem ad Septentrionalem Oceanū ambitu. Hinc fit vt tota Hiſpania, niſi qua parte Pyrenæo propè montium Europæ maximo & rectiſſimo clauditur, vndique mari alluatur. Sed quū nauibus circumiri poſſit, ſolum tamen Tyrrhenum pelagus incolæ nauigant ad columnas Herculis, ab occidentali & Septentrionali abſtinentes, niſi quando in Britanniam vnà cum æſtu maris tranſuehuntur: quæ quidem traiectio dimidiati diei eſt. Vltrà autē nec Romani, nec ſubditæ Romanis gentes vllæ penetrāt. Iberiæ verò, ſiue (vt nunc à nonnullis nominatur) Hiſpaniæ magnitudo vaſtior eſt quàm vt vnius ſolùm regionis eſſe credi poſſit. Siquidem latitudo eius (quæ pro longitudine eſt) ad decies mille ſtadia protenditur: ac gentibus multis & diuerſis, tum fluuiis nauigabilibus abundat. Porro qui primùm Hiſpaniam incoluerint, quíue poſteris temporibus tenuerint, mihi Romanā hiſtoriā ſcribere ingreſſo non eſt conſilium curioſius ſcrutari. quanquam exiſtimo Celtas aliquando, ſuperato Pyrenæo, Iberis permixtos vnà habitaſſe: vnde Celtiberorum nomen manarit. Eodem modo & Phœnices arbitror iam inde à primis temporibus, commerciorum gratia vltrò citróque commeantes, Hiſpaniæ loca quædam occupaſſe.

Quinetiam Græcorum nonnullos Tarteſſum ad Argan thonium regem nauibus aduectos, veriſimile eſt in illis locis conſediſſe (imperitabat enim Hiſpanis Arganthonius)& Tarteſſum maritimumoppidum tum fuiſſe, 158
quod nunc Carpeſſus appellatur. Iam verò & Herculis fanum, quod apud columnas eſt, à Phœnicibus cōditum videtur, vel hoc ſolo argumento, quòd ad noſtram vſque memoriam Phœnicio ritu Deus colatur, & Tyrius Hercules, nō Thebanus habeatur. Verùm hæc antiquas res perſcribere volētibus relinquamus. Hanc terrā fertilem & omnibus bonis abundantem Carthaginienſes ante Romanos tentarunt & ſolicitarunt. Et iam eius partem tenebant, alteram diripiebant, quoad Romani eiectis illis, etiam quæ poſſederant, confeſtim ademerunt. Reliquam verò partem magno labore ac tempore occupatam, & poſt frequentes defectiones tādem domitam in tres partes diuiſerunt: in quarum ſingulas Prætores mittunt. Cæterū quomodo eas ſubegerint, & quomodo cumCarthaginiēſibus primò, deinde cū Iberis ac Celtiberis armis cōtenderint, declarabit hic liber, cuius pars prior res Carthaginienſium continet. Sed hæc de Hiſpania mihi neceſſe fuit in Hiſpanicam hiſtoriam cōferre, ea ratione qua quæ pro Sicilia inter Romanos & Carthaginienſes geſta ſunt, poſtquā Romani in Siciliam traiicere, & in ea inſula imperium vſurpare cœperunt, in Sicilienſi hiſtoria ſumus perſecuti. Primum enim bellum longinquum pro Sicilia Romanis aduerſus Carthaginienſes geſtum eſt in ipſa Sicilia: alterum hoc pro Hiſpania, in ipſa Hiſpania: quo tempore alteri in alterorum fines maximis copiis traductis, hi Italiā, illi Libyam peruaſtarunt. Ortum eſt autem hoc bellum centeſima & quadrageſima Olympiade, maximè poſt rupta quæ bello Siculo pepigerant fœdera, hac de cauſa: Amilchar cognomento Barcas, quo tempore imperator

Carthaginienſium ductabat exercitum,Gallis mercena riis & Aphrorum auxiliaribus multa dona pollicitus erat : quæ quum ab eo in Libyam regreſſo repoſcerent,
159 Aphricũ exarſit bellum. In quo cum multa damna accẽ perunt Carthaginienſes ab Aphris ipſis, tum Sardinia Romanis ceſſerunt, in mulctam eorum quæ in Romanos mercatores hoc Aphrico bello admiſerant. Barcas ergo ab aduerſariis in iudicium vocatus,ceu qui tot calamitates patriæ inflixiſſet,conciliatis Reip.moderatoribus(quorum maximè popularis erat Aſdrubal Barcæ ipſius gener)non ſolùm iudicium euaſit,ſed orto etiam à Numidis bellitumultu,perfecit vt dux cum Annone cognomento Magno legeretur, nondum redditis ſuperioris præfecturæ rationibus. Bello confecto,ob crimina quædam reuocato Annone,ſolus apud exercitum cum Aſdrubale genero ſuo remanens,Gades peruenit: traiectóque freto,Hiſpanorum,à quibus nulla erat ei orta iniuria,fines depopulabatur:occaſione quæſita qua & domo abeſſe,& res præclaras gerere, & populares largitiones exercere poſſet. Itaque quicquid bello capiebat, ita diuidebat vt in exercitum partẽ inſumeret, quo ad iniuriam faciendam promptiorem ſocium haberet: partem Carthaginem mitteret:quod reſtabat, iis qui in adminiſtranda Rep. ſibi fauebant, largiretur. donec Hiſpanorum tum reguli, tum alii potentes eum facta conſpiratione,hoc pacto obtruncarunt: Iunctis ad plauſtra lignis onuſta bobus,armati ipſi ponè ſequebãtur. Quod intuiti Aphri, ſtatim, ceu qui vafrum & audax conſilium non caperent, in riſum proruperunt. Sed vbi ad manus vẽtum eſt,Hiſpani ſuccenſis carris boues in hoſtes impulerunt,ac longè latéque ſparſo incẽdio,quum boues huc illuc ferrentur,perturbatis Aphris,eorúmque acie diſiecta,irruentes Hiſpani & ipſum Barcam & plurimos alios auxilio venientes ceciderũt. Carthaginien-

ſes iam Hiſpanienſi præda allecti nouas de integro copias in Hiſpaniam tranſmiſerunt: quibus Aſdrubalem Amilcharis generum,qui tunc temporis in Hiſpania erat, præeſſe voluerũt. Hic Annibalem(cuius paulo pòſt in re militari virtus enituit) admodum iuuenem & bel 160
licoſum & militibus gratũ, legatum ſuum creauit. Cuius opera in iis vſus quæ vi ac bello agenda erant (nam pleranque Hiſpaniæ partem beneuolẽtia facundiáque, qua plurimum pollebat,ſibi adiunxerat) ab occidentali Oceano continentem verſus ad Iberum vſque penetrauit:qui fluuius mediam Hiſpaniam diuidẽs, & dierum quinque itinere diſtans à Pyrenæis montibus,in mare Septentrionale decurrit.Sed Saguntini (ea fuit Zacynthiorũ colonia)aliique Græci, qui iuxta Emporias aliaque Hiſpaniæ loca habitabant, ſibi metuentes, legatos Romã miſere. Senatus, qui nollet rem Carthaginieſem augeri aut efferri, legationem Carthaginem decernit: conuenítque inter vtroſque vt Hiſpani Carthaginienſium imperii finis eſſet Iberus amnis, vltra quẽ nec Romanis Carthaginienſium ſocios armis laceſſere,nec Carthaginienſibus bellum traducere liceret:Saguntinis autem aliiſque Græcis libertas atque immunitas ſeruaretur.Hæc amborũ fœderibus adſcripta ſũt.Interea Aſdrubalem,dum Carthaginiẽſibus ſubditam Hiſpaniam moderatur,ſeruus(vt hero mortuo parẽtaret,quem Aſdrubal crudeliter occidendum mandarat)in venatione incautum clam adortus trucidat. Atque hunc haud multo pòſt Annibal facinoris conuictum, atrociter excruciatum necat. Extemplo tametſi admodum iuuenis,tamen quia militibus vehemẽter charus erat,ab exercitu imperator Annibal ſalutatur, accedente ad militarem prærogatiuam Senatus conſenſu. Audita Amilcharis & Aſdrubalis morte,qui diuerſas in Rep. partes ſecuti potentiam eorum extimuerant,Annibalis iuuentutem

despicere, mortuorum flagitia in amicos clientésque
deriuare: populus accusatoribus assentiens, ac memor 161
iniuriarum, reis ipsis obiicere quas sub Amilchare &
Asdrubale acerbitates pertulerant: denique cogere vt
quæ ab illis missa ingentia munera acceperant, in publi-
cum, tanquam ex hostibus comparata, referrent. Missis
itaque ad Annibalē literis, oratum sibi vt subueniret,
etiam accuratè commonuerunt, si, à quibus domi iuua-
ri posset, ita contemneret, paternis eum fore inimicis
despicatissimum. Verùm ea omnia sua spōte satis præ-
uidens, & amicorū periculis non inscius sibi insidias pa
rari: quod olim patri patrísque genero contigisset, sibi
sedulò cauendum ducebat: ne odia semper & cum metu
differendo ac dissimulando, perpetuis exagitaretur dis-
sidiis, & Carthaginiensis populi tam flexibilis támque
in bene de se meritos ingrati libidini perpetuò foret
obnoxius. Quinetiam fama erat, eum puerum à patre
iureiurando adactum incensis aris, se, quum primum ad
Remp. accessisset, Romanorum hostem fore sempiter-
num. His de causis existimabat, si arduis patriam diutur
nísque distractam negotiis, in grauissimas occupatio-
nes metúsque coniecisset, tum suas tum amicorū res in
tuto fore. Sed Aphricā * * videbat, & quæ in Hispania
Carthaginiensis erant ditionis. Quòd si bellum contra
Romanos denuo exuscitasset (quod vehementer cupie-
bat) ciues suos arbitrabatur in magnis curis ac timore
versaturos: se verò, siue hoc bellū fœliciter cederet, glo
riam immortalem consecuturum, patriæ totius orbis
imperio tradito & parto: (sublatis enim Romanis nul-
los deinceps æmulos fore) siue spe frustraretur, cona-
tum tamen laudi futurum. Itaque rerum agendarū præ-
clarum initium ratus Iberum traiicere, Torbeletas Sa-
guntinorum vicinos, quorum ager Saguntinorum in-
cursionibus vastabatur, ad se venire iussos, Carthaginē

mittit: & inter alia arcana ſcribit à Romanis Hiſpanos
162 Carthaginienſium ſocios ad defectionem ſolicitari, Sa-
guntinis ad id operam ſuam locantibus. Denique nihil
non admiſcuit doli, ſæpius eadem ſcribendo, donec Se-
natus cenſuit vt arbitratu ſuo de Saguntinis ſtatueret.
Arrepta hac occaſione, fecit vt iterum Torboletæ co-
ram ſe de Saguntinis queſtum venirent. Quibus per le-
gatos euocatis, quum iuſſiſſet vt de rebus inter vtroſque
controuerſis apud ſe diſceptarẽt, & illi ſe Romanis to-
tam rem permiſſuros reſpondiſſent, iratus Annibal, ca-
ſtris quamprimũ eos iuſſit excedere. Ipſe proxima no-
cte cum omnibus copiis traiecto Ibero regionem depo
pulari, & iam vrbi machinas admouere: ac, quia vi cape-
re non poterat, vallo foſſáque cingere, diſpoſitiſque per
interualla præſidiis obſidere. Repentino hoc & inſpera
to malo oppreſſi Saguntini Romam legatos miſerũt. Se
natus cum his alios decernit, qui primùm Annibalem
admonerent fœderum, &, ſi parere nollet, Carthaginem
de eo conqueſtum irent. Hos in Hiſpaniam naue appul
ſos, & ad caſtra tendẽtes vetuit Annibal propius acce-
dere. Quare rectà Carthaginem curſum flexerunt, co-
mitibus illis ipſis Sagũtinorum legatis. Qui poſtquam
eò aduenerũt, & pacta fœduſque propoſuerũt, Carthagi
niẽſes Sagũtinos criminari quòd ſubditos ſuos violaſ
ſent: legati eos hortari vt Romanis iudicibus lis diri-
meretur: illi ſibi iudicio dicere non perſequendas iniu
rias quas poſſent vlciſci. Hæc vbi Romam perlata ſunt,
fuere qui extẽplo Saguntinis opem ferendam cenſerẽt:
alii differendum putarunt, quòd eos dicerẽt fœderibus
nõ ſocios Pop. Romani, ſed liberos ac ſui iuris eſſe ad-
ſcriptos: quin & eo ipſo tẽpore obſeſſos liberos eſſe. At-
que hæc poſterior vicit ſententia. Saguntini, deſperato
à Romanis auxilio, creſcente rerũ omnium inopia, lon
ga obſidione (Annibal enim quum vrbem opulentam
163 eſſe comperiſſet, nihilo ſegnius obſidionem vrgebat)

quicquid publici aut priuati auri erat, præconio iussi in forum contulerunt, &, necui vsui esset Annibali, plumbo æréque admixtis ac colliquefactis corruperũt. Tum satius honestiúsque rati pugnando quàm fame confici, noctu eruptione facta, in Aphrorũ stationes cum impetu feruntur, sub eam horam quiescentium & nihil tale suspicantiũ. Ibi alios è lecto surgentes, & cum trepidatione vix arma capessentes, nonnullos etiã repugnantes trucidant. Sed protracto diutius certamine, ex Aphris multi, Saguntini omnes desiderati sunt. Mulieres è muro virorum mortes conspicatæ, pars è tectis sese deturbare, pars suspendere, aliæ liberos iugulare. Tristis hic fuit exitus opulẽti quondã & potentis oppidi. Annibal postquã de fraude circa aurũ admissa cõperit, captiuos omnes & puberes ira percitus crudeliter mactari iubet. Vrbem, quia mari propinqua, non procul Carthagine, loco fertili sita erat, instauratam & nouis repletam incolis, Carthaginiensium coloniã esse voluit: quã nunc arbitror Carthaginẽ vocari Spartagenã. Romani legatos Carthaginẽ mittũt, quibus mãdant vt tanquã rupti fœderis auctorem, nisi quicquid ab eo factum fuerit, cõsilio publico factũ agnoscant, Annibalẽ deposcãt, & nisi dedãt, properè bellũ indicãt. Quo facto, quia Annibal nõ dedebatur, hoc modo bellũ denuntiauerũt. Legatus ridens, mõstrato sinu, Hîc, inquit, ô Carthaginienses vobis & pacem & bellũ porto: vtrum placet sumite. At illi, Imò tu, exclamãt, vtrũ voles dato. Tũ illo bellũ proferente, accipere se omnes dixerũt, ac mox Annibali iusserũt vt iam liberè, quippe ruptis fœderibus, cunctã Hispaniã percurreret. Ille vicinas gẽtes adeundo, eásque sibi vel verbis, vel vi, vel metu adiungẽdo, copias ingentes cõparabat, consiliũ suũ de bello Italiæ inferẽdo nemini prodẽs. Et iam missis in Galliã legatis Alpiũ trãsitus explorabat * * Et peruasit * * Asdrubalem fratrem * * in Hispania sibi & Libya bellum fore. Neque 164

enim vel ſuſpicari poterant Aphros vnquam in Italiam irrupturos . * * Tiberium quidem Sempronium Longum cum centũ & ſexaginta nauibus & duabus legionibus in Aphricam miſerunt. Quæ verò Longus aliique Romanorũ duces in Aphrica geſſerint, in hiſtoria Carthaginienſi perſcripta ſunt. Porro in Hiſpaniam miſſus eſt P. Cornelius Scipio cum ſexaginta nauibus, peditũ millib. decem, & ſeptingẽtis equitib. Legatus ei additus Cn. Cornelius Scipio . Horum Publius à Maſſilienſium mercatoribus certior factus Annibalem iam per Alpes in Italiam tranſiiſſe, veritus ne imparatos Italos deimprouiſo opprimeret, tradito Cneo fratri quem in Hiſpania habuerat exercitu, ipſe quinqueremi vectus in Hetruriam venit. Sed quæ tum hic tum alii imperatores huic bello præfecti in Italia geſſerint, ad id vſque temporis quo exactis ſexdecim annis vix tandem Annibalem Italia expulerũt, declarat proximus liber: quo etiam ipſius Annibalis geſta omnia in Italia cõtinentur: vnde De rebus Annibalis inſcribitur. Cneus in Hiſpania ante fratris aduentum memorabile nihil geſſit. Verùm finito magiſtratu Romani nouos Cõſules in Publii locum aduerſus Annibalem & ad bellum Italicum ſurrogarant: ipſum Publium Procoſ. in Hiſpaniam proficiſci iuſſerant. Inde ambo fratres cõmunibus auſpiciis contra Aſdrubalem Aphrorum ducem bellum tandiu
165 ſuſtinuere, quoad eum Carthaginiẽſes, à Syphace Numidarũ rege bello petiti, cum maiori parte copiarum acerſiuerunt. Eo abſente reliquos facilè ſuperabant: &, quia vt eximii imperatores, ita in conciliandis hominum animis miræ artis erant, non paucas ad ſe vrbes alliciebãt. Poſt factam cum Numidarũ rege pacẽ, Carthaginienſes Aſdrubalem cum maiori exercitu & elephantis triginta remiſerunt, duobus additis collegis, Magone & altero Aſdrubale Giſconis filio . Bellum inde grã-

pius Scipionibus incubuit, qui tamen sæpius victores redibant, multis cæsis tum Aphris tum elephantis: donec aduentãte hyeme Aphri in Turdetanos, Scipionum Cneus Orsonem, Publius Castulonem in hyberna se contulerunt. Quò quum aduẽtare Asdrubalem nuntiatum esset, egressus vrbe P. Scipio cum paucis, tanquam hostiũ castra exploraturus, imprudens in Asdrubalem eiúsque equitatum delabitur: à quo & ipse & qui cum eo erant omnes oppressi occisique sunt. Interea Cneus huius calamitatis inscius, ad fratrem milites quosdam pro accipiẽdo frumento dimiserat, qui cum aliis Aphris quibus in via ex insperato occurrerant, pugnam conserebant. Hoc vbi resciuit Cn. Scipio, cum expeditis quos secum habebat militibus propere accurrit. Verùm Pœni, prioribus è medio sublatis, in ipsum Cneũ impetum faciunt, ac fugientem in turrim quandam compellunt: qua incensa cum omni comitatu cõcrematus est. Hunc vitæ exitum habuere Scipiones ambo, viri strenui, Hispanis, & iis maximè qui eorum opera in Romanorum societatem venerant, relicto non leui sui desyderio. Romæ Patres hac clade nuntiata grauiter commoti Marcellum (is è Sicilia nuper venerat) & vnà Claudium in Hispaniam cum equitibus mille, peditum decem millibus, commeatúque non paruo, mittunt. Qui dum ignauiter rem gerunt, mirum in modum auctæ sunt Pœnorum opes, ac fere tota Hispania ab iis occupata, Romanis intra Pyrenæos mõtes inclusis. Qua re Romam perlata, multo vehemẽtius Patres angi, vererique ne, dum Annibal anteriorem Italiam depopulatur, altera ex parte Aphri in eam irrumperent. Quapropter tametsi hoc Hispanico bello lubentissimè defungi cupiissent, tamen non erat illis integrum: metuẽtibus ne hoc quoque bellum in Italiam transferretur. Itaque diem edixerunt quo Proconsuli creando in Hispaniam comitia habe- 166

rentur. Sed vbi nemo nomen professus est, tum verò redintegratus metus tristéque silentium concionē tenuit: donec Cornelius Scipio P. Cornelii, qui in Hispania ceciderat, filius admodū iuuenis (annos enim quatuor & viginti natus erat) sed prudens & strenuus habitus, in mediū prodiit, ac magno elatóque animo tum de patre, tum de patruo disseruit, atque vtriusque casu deplorato subdidit, ex omnibus restare se vnum domesticum vltorē & parenti & patruo & patriæ. Ad hæc quum multa alia copiosè ac magnificè ceu diuino afflatus numine promitteret, non Hispaniā modò se recepturū, sed & Aphricam & Carthaginem ipsam, fuere quibus iuuenili quadam leuitate impulsus loqui videretur. Verùm quia ægram animis plebem spe repleuerat (nam qui in aliquo metu sunt, promissis demulcentur) tanquam his animis digna gesturus, imperator in Hispaniam deligitur. Seniores tamen non fiduciam animi, sed confidentiam interpretabantur. Quod vbi Scipio comperit, reuocato ad concionem populo, eadem qua prius grauitate de sua ætate locutus est, eam suis cœptis nō obfuturam: siquis tamen seniorum imperium vellet accipere, paratum se vltro ei cedere. Quam conditionem admittente nemine, maiori cum laude & admiratione ad bellum proficiscitur cum decem peditum millibus, equitibus quingentis (neque enim ampliores copias educere licebat, Annibale vastante Italiam) pecuniáque atque reliquo apparatu, & nauibus octo & viginti, quibus in Hispaniam vectus est. Additis igitur ad veteris Hispaniensis exercitus reliquias, quas secum adduxerat, copiis, cō-
167 cilióque habito, militum animos magnifica & splendida oratione confirmauit. Et iam per vniuersam Hispaniam Punici pertæsam imperii, & Scipionum virtutem desyderantem, fama sparsa erat, aduenisse Scipionis filium Scipionem, diuino quodā cōsilio imperatorē sibi

miſſum. Atque hāc opinionē Scipio ipſemet ſciens mul
to magis auxit, nihil agere ſe ſimulans niſi à Deo præ-
monitũ. Quum verò cōperiſſet hoſtes quatuor in locis
longè inter ſe diſtātibus ſtatiua habere, eorũque nume
rum eſſe peditum vigintiquinque millia, equites quin-
gentos ſupra duo millia: cæterùm apparatũ pecuniarũ,
frumēti, armorum, telorũ, nauium, captiuorũ, obſidum
que totius Hiſpaniæ aſſeruari in vrbe quæ prius Sagun-
tus, tum Carthago erat, atque his omnibus præfectũ Ma-
gonem cum decē millibus Carthaginienſium: hunc pri
mum, vt qui parum validum haberet præſidiũ, adoriri
ſtatuit: tum vt tāto apparatu potiretur, tum quia intelli
gebat, ſi eam vrbem argēto, agro, opibus plurimis abun
dantē, adhæc traiectũ in Aphricā breuiſſimum haben-
tem, expugnaret, ſibi tutũ terra marique receptaculũ fo
re: vnde facilè in totā Hiſpaniam incurrere poſſet. His
cauſis in ſpem erectus, nemine quò iretur conſcio, cir.
citer occaſum ſolis motis caſtris, tota nocte Carthagi-
nem verſus contendit, & primam ſub lucem improuiſo
aduentu territis hoſtibus, quum vallũ duxiſſet, in diem
proximum oppugnationē præparabat, & ſcalas machi-
náſque ex ōni parte oppidi diſponebat, præterquā quà
depreſſus murus ſtagno marique alluebatur, & ea de
cauſa negligētius cuſtodiebatur. Noctu deinde vbi om
nia telis lapidibúſque muniiſſet, immiſſa etiam in portũ
claſſe, ne elabi naues hoſtiles poſſent (ingentis ſpiritus
vir de expugnanda vrbe certam ſpem conceperat) ante
lucem copias ſuas machinis admouet, iuſſis iis qui ma
chinis impoſiti erant, hoſtes aggredi, qui verò deorſum
erāt, machinas promouere. Mago ſua decem millia ad 168
portas inſtruit, vt quum videretur commodum cum ſo
lis enſibus erumperēt: quòd locis anguſtis haſtarũ vſus
nullus foret. reliquis militibus arces inſedit. Ipſe mul-
tis machinis, lapidibus, telis & catapultis per mœnia diſ

ponendis, impigrè rem gerebat. Sublato tandem cla-
more, incredibili alacritate atque impetu vtrinque cō-
curritur. Iam magna vis lapidū, telorū, missiliū volabat:
quum alii manibus, pars machinis, nōnulli fundis, &, si-
quis alius erat apparatus, vterentur. At Scipionis acies
premebatur, illíque decies mille Carthaginienses qui
ad portas erant, eruptione facta nudis ensibus in eos ir
ruunt qui machinas admouebant. Et acceptis illatísque
vulneribus tandiu haud impari stetere acie, quoad Ro-
manus pertinaci labore inuictóque animo tandem su-
perior euasit. Tum mutata fortuna, qui muris supersta-
bant & ipsi affligi cœpere. Qúumque iam applicarentur
scalæ, Pœni qui solis sicis eruperant, propere in vrbem
regressi, clausis portis in muros insiliunt. Sic nouus du
rúsque labor Romanis accidit. Dum hæc fiunt, Scipio
imperator, qui nusquam non aderat, clamando hortan-
dóque, circa meridiē, qua parte humilis murus erat, & sta
gno alluebatur, mare recessisse (statis autē vicibus quo-
tidie recurrebat) animaduertit, ipsáq; vada adeo nuda-
ta, vt aqua alibi pectore tenus esset, alibi vix medias ti
bias superaret. Quapropter cognita stagni natura, com
pertum habens in eo statu totum diem fore, antequam
mare æstum (vt moris est) referret, magna voce clamās,
Nunc nunc ô viri tempus est: nunc adiutor nobis deus
aduenit: oppugnate murum, qua parte æstus sua spon-
te in mare cedēs, secúmque aquam trahens, vobis viam
aperit. Iam scalas expedite: ipse ego iter monstrabo. His
dictis arreptam scalam muro applicat, conscensurus pri
mus omnium, nisi armigeri aliíque milites prohibuis-
169 sent. At ipsi multis simul scalis admotis in murum eua
dunt, atque vtrinque clamore & impetu facto, magná-
que edita & accepta strage, Romani tamen superiores
arces aliquot occupant, quibus Scipio tubicines ac buc
cinatores imposuit, iussitque, vt tanquā vrbe capta, quā
maximum

maximum ſtrepitum poſſent ederent. Alii interea circuncurrentes tumultu omnia replebant,dum nonnulli in vrbem inſiliẽtes,porta refracta Scipionem cum omnibus copiis intromittunt. Oppidani intra tecta refugiunt.Mago ſua decem millia in forum conuocat,quibus primo impetu cæſis,cum paucis in arcem ſe recipit. Quò quum Scipio aduolaſſet,videns Mago victis in militibus metúque conſternatis nihil ſpei aut ſalutis reliquum,Scipioni ſe dedidit.Hoc pacto opulenti potentiſque oppidi & audacia & fortuna,vno die(qui ab eius aduentu quartus erat)capti compos factus Scipio,ingẽtes animos concepit: iámque vulgata de eo opinio multo magis confirmabatur,nihil non eum agere diuino conſilio. Et ipſe quoque ita de ſe ſentiebat, & inde orſus tum & per omnem vitam aſſimulabat:quippe qui in Capitolium vẽtitaret, foribúſque occluſis, quaſi cum deo ſermones conferens,diutius ibi conſideret. Vnde nunc quoque in pompis,vniusScipionis ſtatua è Capitolio effertur,aliorum è foro. Capta vrbe omnibus tum pacis tum bellicis rebus inſtructiſſima,Scipio ingentem omnis generis prædam inuenit,arma multa,tela,machinas, naualia,naues longas trigintatres, frumentum, & commeatum varium,eboris,auri,argenti tum in pateras cõflati,tum ſignati & non ſignati copiã.Ad hæc Hiſpanorum obſides & captiuos, & qui ex Romanis antè capti fuerãt. Poſtero die ſacris peractis,victoriáque celebra-
170 ta,quum militum virtutem collaudaſſet, ad oppidanos etiam orationem habuit, qua eos admonuit vt Scipionũ nominis memores eſſent. Deinde captiuos in ſuam quenque domum dimiſit,ſi fortè hoc beneficio ciuitates eorũ ſibi adiungere poſſet.Militibus etiam præmia diſtribuit, qui primus murum aſcenderat, ampliſſimum: ſecundo ab hoc, dimidio minus: tertio, tertia parte:& ſic reliquis,prout cuiuſque meritum ac virtus

erat. Quicquid auri argentive aut eboris fuit, nauibus ex hoste captis misit. Supplicatio tridui indicta, quòd ex tā diuturnis malis publica fœlicitas respirare videretur. Atq; huius tam audacis incepti tū magnitudo, tum celeritas Hispanos Pœnósque qui in Hispania erāt, valde terruit. Scipio, relicto Carthagine præsidio, muróque quem æstus alluebat attolli iusso, reliquam Hispaniam ipsemet adiit, dimissisque in singulas partes amicis, sibi conciliabat, qui parere nollent, vi bellóque subactis. Carthaginiensiū imperatorum alter Asdrubal Amilcharis longissimè in Celtiberia mercenariorū militum delectū habebat: alter Gisconis, missis nuntiis ad eas ciuitates quæ ad eum vsq; diē fidæ Carthaginiēsibus fuerāt, orabat vt in fide permanerēt: breui innumerabiles in Hispaniā copias affore. Deinde Magonem in proxima quæque loca dimisit ad auxilia mercede vndecunque cōducenda. Ipse interea in Lersa agrū eorū qui defecerāt hostiliter ingressus, oppidū quoddā obsidere parabat: sed Scipionis repentino aduētu territus, Bætycā se recepit, atque ante vrbem castra cōmuniit. Quo in loco postero die à Scipione victus est, quū vallo & vrbe potitus esset. Quapropter Carthaginiēsium copiis, quæ quidē in Hispania essent, Careonē vrbē venire iussis, omnibus viribus Scipionem statuit aggredi. Et iam ad eum cōuenerant Hispani non pauci Magonis ductu, necnon & Numidæ quibus imperabat Masinissa. Asdrubal cum peditatu sub vallo castrametatus erat. Masinissa & Mago equitatus pro castris stationes habebant. Scipio peditatum suum ita partitus est, vt partem cum Lælio aduersus Magonē emitteret, ipse cum altera in Masinissam rueret. Aliquantulum anceps ea pugna & grauis Romanis fuit, quòd Numidæ tela eminus mitterēt, deinde fugerēt, mox conuersis equis in Romanos ferrentur. At vbi iussit Scipio vt coniectis in hostem pilis quammaximo impetu vrgerēt ac persequerētur, tū Numidæ, quia reflectere non daba

tur, in castra cõpulsi fugere. Scipio decẽ stadia ab hoste, loco firmo tutóque, vt optabat, castra locat. In Punicis castris peditum LXX MM, equites mille & quingenti fuere: elephanti XXXVI. Scipioni ne tertia quidem pars aderat. Quare aliquãdiu bello abstinuit, leuibus tãtùm præliis commissis. Sed postquã cõmeatus inopia famésque castra afficere cœpit, pedẽ referre turpe ratus, peractis sacris repentè, & vultu & habitu, velut diuino numine afflatus, quum alioqui facilè assentiretur exercitus, sibi deum more suo apparuisse affirmauit, atque in hostem hortatum esse vt iret: diuino ductu potius quàm multitudine fretos esse oportere: superiores victorias non numero hominum, sed diuino beneficio concessas. Vtque fidem orationi suæ astrueret, iubet ab haruspicibus exta in medium afferri, atque inter loquẽdum aues præteruolantes videt, quas quum magno ardore clamoréque ostentaret, tanquam certa victoriæ signa sibi diuinitus data, quemadmodum ipse ad earum aspectum ceu numine correptus, nũc suspiciendo, nunc vociferando circumagebatur, sic cunctus exercitus secundum varios sui imperatoris ad varia visa motus, & ipse huc illuc se conuertebat, & tanquam ad paratam victoriam incendebatur. Scipio voti sui compos, ne militum ardor mora collaberetur, nihil cessandũ existima-
172 uit, sed tanquam adhuc diuino instinctu impulsus loqueretur, propere cum hoste post tam faustã signa confligendum censuit. Quare cibo sumpto milites arma capere iussit, traditóque equitatu Syllano, peditatu Lælio & Martio, ex insperato in hostem deducit. Irruente Scipione & iamiam instante (decem enim tantummodo stadia erant inter vtraque castra) Asdrubal & Mago & Masinissa milites, prius quàm cibo corpora firmassent, raptim non sine trepidatione ac tumultu instruunt. Conserto tum pedestri tum equestri prælio, Romanus

eques ſuperior erat. Nam (qua arte priore prælio vſi fue
rant) quum valida acríque impreſſione in Numidas in-
ueherentur, nec ipſi propter propinquitatem more ſuo
cedere ac mox in hoſtem reflecti poſſent, eis prorſus
inutilia tela effecerāt. At pedes multitudine inferior ab
Aphris premebatur, totúmque diē victus cedebat, nec
ſubinde accurrentis atque hortantis Scipionis verbis
mouebatur: donec ipſe imperator equum puero tradi-
dit, atreptóque ſcuto ſolus inter vtranque aciem procur
rit, ac voce ſublata, Veſtro, ô Romani, exclamat, pericli
tāti Scipioni ſuccurrite. Ad eam enim vocē & qui prope
adſtabant, intuentes, & qui procul diſtabant, audientes
in quanto periculo eſſet, omnes ſimul tum reuerentia
tum metu ducis in hoſtem magna vi atque vlulatu con
tendunt. Quorum impetum Aphri non ferentes (nam
propter inediam viribus circa veſperam deficiebantur)
pedem referre cœperunt. Tum ingens exiguo ſpatio e-
dita ſtrages. Hūc exitum habuit Scipio pugnæ ad Careo
nem ancipitis diu & periculoſæ: qua Romanorum o-
ctingenti deſyderati ſunt, hoſtium quindecim millia.
Inde Aphros iam cum feſtinatione ſe recipientes inſe-
quutus eſt, carpendo incurſandóque vbicunque aſſequi
poterat. Sed quum locum quendam natura munitum,
& aqua commeatúque abundantem occupaſſent, nec ni
ſi longa obſidione expugnabilem, quia aliò negotia vo
cabant, relicto ad eos obſidendos Syllano, reliquam i- 173
pſe Hiſpaniam peragrauit, ſibíque conciliauit. Aphri à
Syllano obſeſſi, fretum verſus, vt Gades traiicerent, ce-
dendo paulatim ibant: quibus Syllanus pro viribus in-
commodauit. Deinde Carthaginem ad Scipionem re-
diit. Porro Aſdrubal Amilcharis filius, dum circa ſe-
ptētrionalem Oceanum nouos delectus habet, à fratre
Annibale in Italiam accerſitus, per ſeptentrionalis li-
toris oram, vt Scipionem lateret, iter faciens, ſuperatis

Pyrenæis montibus in Galliam traiecit cum magna Celtiberorum mercenariorum manu. Atque hoc modo Italis inſcientibus in Italiam feſtinabat. Interea Lucius Roma reuerſus Scipioni nuntiauit cogitare Romanos de eo cum imperio in Africam mittendo. Quod quoniam iampridem ipſe & votis & ſpe præceperat, Lælium quinque nauibus in Africam ad Syphacem regem cum donis dimiſit, tum vt eum admoneret Scipionũ amicitiæ, tum vt oraret, ſi in Africã Romani traiicerẽt, ſocius illis adiutórque vt foret. Syphax donis acceptis aliiſque remiſſis ita ſe facturum annuit. Id ſenſere Carthaginienſes, & ipſi legatos de ſocietate ad Syphacem miſerunt. Qua de re Scipio certior factus, ſi præreptum Carthaginienſibus Syphacẽ ſibi adiungeret, non parum mõmẽti eam rem habiturã ratus, duabus quinqueremibus cum C. Lælio ad eum contendit: Appropinquanti terræ, ad littúſque tendenti Carthaginienſium legati, qui apud Syphacem erãt, imprudente rege, nauibus quas habebant longis, hoſtiliter occurrerũt: ſed Scipio, quòd velo vteretur, celeriter eos prætervectus, tutò in portum appulit. Vtroſque Syphax ad hoſpitiũ inuitauit, ſed clàm cum Scipione fœdus iunxit, fidéque data abs ſe dimiſit: & ſtruentes illi inſidias tantiſper Carthaginienſes apud ſe retinuit, dum tantum maris nauigaſſet vt extra periculum eſſet. Hoc diſcrimen adiit Scipio & in itinere &
174 in portu. Fama eſt Scipionem in regio epulo eodem lecto quo Aſdrubal accubuiſſe, Aſdrubalémque multis de rebus percontantem, eius grauitatem admiratum, ac inter amicos dixiſſe, huiuſmodi virum non tantùm in bello, ſed etiam conuiuio eſſe formidabilem. Eo ipſo tẽpore accidit vt Celtiberi Hiſpaníque nõ pauci, quorum ciuitates ad Romanos defecerant, ſub Magone Pœno mererent: quos Martius adortus circiter mille quingentos cecidit, reliquis per oppida fuga diſperſis. Cæterùm

ſeptingentos equites, pedites ſexies mille (alterum agmen Hannonis ducis) in tumulum quendam compulſos, eò inopiæ adegit vt legatos de pace mitterent. Ipſe Hannonem ac tranſfugas ſibi tradi iuſſit, ac tum ſecum de pace agi. Extemplo illi comprehenſum Hannonem hæc ipſa audientem, & tranſfugas omnes dederunt. Martius captiuos itidem poſcit: quibus acceptis, edicit vt pactam & conſtitutam pecuniam in locum planum ac campeſtrē deferāt: non enim ſupplicibus conuenire loca edita, vbi in campum deſcēdiſſent. Vos capitales (inquit) eſtis, qui, quū patriæ veſtræ nobis pareant, hoſtibus iuncti contra eas arma ferre ſuſtinuiſtis. Sed nihilominus vobis permitto depoſitis armis impune abire. Celtiberi grauiter commoti omnes vna voce conclamāt, arma ſe nō depoſituros. Hinc atrox prœliū cōſeritur: quo pars nō inulta cæſa eſt, pars incolumis ad Magonē euaſit, qui paulo antè in caſtra Hannonis venerat, ſed audita eius clade Gades traiecerat: vbi otioſus in magna inopia exitū rerum expectabat. Sed miſſus à Scipione antea Syllanus ad Caſtacē vrbē, vt eam ſibi conciliaret, vbi nihil pacati reſpōdebatur, parabat obſidere, ſuumque cōſilium Scipioni ſignificauit. 175
Scipio præmiſſis ad obſidionē aliquot machinis ſubſequebatur: ſed in itinere Ilyrgim oppugnare ſtatuit. Fuerat hæc vrbs Romanorū ſocia dum ſuperior Scipio viueret. Quo perēpto, perfugiētes ad ſe ex ea clade Romanos, quū (ceu tum quoque amica) excepiſſet, eoſdē Carthaginiēſibus prodidit. Hac perfidia irritatus Scipio, quatuor horis eam ſubuertit. Et quāuis in ceruice vulnus accepiſſet, nō tamē prœliū remiſit, quoad certa victoria apparuit. Milites, nemine hortāte, prædæ direptioniſque immemores (adeo vulnerarat animos vulnus imperatoris) nec ſexui nec ætati pepercerūt: nec prius deſæuit ira quā vrbs ſolo eſt æquata. Ventū inde ad Caſtacē, copiiſque tripartitò diuiſis vrbem Scipio obſidebat, ab oppugnatione tamen & pugna abſtinebat tātiſper dū oppidanis reſipiſcēdi ſpatium con

cederet, quos audiebat ea de re iam cõsilia inter se agitasse. Nec multo pòst ipsi, cæso quod intra vrbẽ erat suisque consiliis obstabat præsidio, victores Scipioni se tradiderũt. Imposito nouo præsidio, mãdatáq; vrbis cura vni ex ciuibus integræ famæ viro, Carthaginem Scipio regreditur, dimissis ad fretũ vsque Syllano & Martio, vt quà latissimè possẽt omnia direptionibus vastarẽt. Erat autẽ Astapa oppidũ Carthaginiẽsiũ sẽper partis. huius incolæ à Martio obsessi, satísque præuidẽtes, si expugnarẽtur à Romanis, sibi extremã impẽdere seruitutẽ, pretiosissima rerũ suarũ in forũ cõgerũt, & ligna cõstruũt: super eum cumulũ liberos cõiugésque statuunt. Deinde quinquaginta ex sese fortissimis viris iureiurãdo adactis præcipiũt, quũ in eo rem esse viderẽt vt vrbs caperetur, mulierculas liberósque vt ferro necarẽt, mòxque succẽso igni seipsos iugularent. Inde deos cõtestati aduersus Martiũ, ingẽti cum tumultu erũpũt: qui certè nihil minus tũ ab hostibus timebat quàm vt egredi mœnibus au-
176 derẽt. Quare leuis armatura equitésque facilè pulsi: sed vbi armata legio aduenit, fortissimè quidẽ Astapẽses in rerũ omniũ desperatione dimicabãt: sed quibus virtute nõ erãt inferiores, multitudine ab iis vincebãtur. Omnibus pugnãdo cæsis, quinquaginta illi in vrbe fœminas & pueros trucidabãt: demũ succẽso rogo, sese eodẽ iniecerũt, nullo victoriæ fructu victoribus relicto. Martius Astapensiũ virtutẽ admiratus, in tecta nõ sæuiit. Pòst hæc Scipio in morbũ incidit. Castris præerat Martius. Tum milites nonnulli, qui luxu peculiũ profuderãt, rati, quia nihil habebãt, nullã sibi laborũ mercedem reddi, sed & fructum & laudem rerum gestarum à Scipione interceptam esse: à Martio propalã desciscentes, seorsim castra habebãt: & iam ad eos ex præsidiis multi cõfluebãt. Tũ à Magone venere cũ pecuniis qui ad defectionẽ hortarẽtur. Itaq; pecuniis acceptis, nouos ex sese duces cẽturionésq; crearunt, ac cæteris rebus pro libidine cõstitutis,

ipſimet ſe inſtruebant,inter ſéque coniurabãt. Hoc vbi reſciuit Scipio,literas vnas ſeparatim ad eos qui defecerant mittit, ſe morbo præpeditum nondũ eos potuiſſe remunerari: alteras aliis ad quos mali cõtagio non peruenerat, vt inſanientes commilitones in viam reuocarent. Tandem ad omnes ſimul tanquam reconciliatos ſcribit,ſe propediem gratiam exoluturum:edicitque vt ad ſtipẽdium accipiendum Carthaginem conuenirent. Dum autem recitabantur literæ,fuere qui eas ſuſpectas haberent, alii qui fidem habendam cenſerent. Demum inter ſe pacti ſunt vt vniuerſi ſimul Carthaginem irent. Interea Scipio iis quos ſecum habuit Senatoribus mandat vt aduenientem vnũquenque ex ſeditionis auctoribus ad ſe adiungerẽt,&,vt amicorum moris eſt, placidè admonitos & in hoſpitium inuitatos clàm vincirent. Edicit etiam Tribunis vt fidiſſimos quoſque ſuorum militum ſub lucem gladiis accinctos haberent, locíſque commodioribus in concione per interualla occupatis, ſiquis tumultum excitaſſet,ſubitò irruerent, & trucidarent,haud expectato ſigno. Non multo poſt lucis exortum imperator ad tribunal defertur, præconéſque iuſſi milites ad concionem vocare. Illi inſperato præconio citati, parum decorum fore exiſtimantes ſi imperatorem nondum planè confirmatis viribus diutius remorarentur (adde quod ad accipienda præmia citari ſe credebãt)omnes vndique concurrere, pars ſine gladiis, alii ſolis amicti tunicis,præ nimia feſtinatione veſtibus omiſſis. Scipio latenti ſtipatus præſidio, in primis eorum facinus grauiter accuſauit.Sed tamen(inquit)penes ſolos auctores culpa conſiſtat:in quibus puniendis veſtra vtar opera.Hæc vix dixerat quum dirempta,quemadmodum innuerat, turba, ſeditionis principes à Senatoribus in medium protrahuntur,exclamãtes illi quidem protinus, ac commilitonũ opem implorantes. Ad

quorum vocem qui admurmurassent, extemplo à Tribunis necabantur. Reliqua turba vt armis obseptam vndique cōcionem vidit, tristi silentio torpuit. Productos in medium Scipio virgis cædi, (sæuius eos qui exclamarant) deinde ad palum deligatos omnes securi percuti iubet: reliquis veniam dari per præconem denuntiat. Hoc in statu erat Scipionis exercitus. Indibilis regulus, vnus eorum qui cum Scipione amicitiam fœdúsque pepigerant, eo ipso tempore quo in castris Romanis seditio vigebat, agrum quendam sociorum Scipionis hostiliter depopulatus erat, & quum aduersus eum Scipio exercitum duxisset, strenuè commisso prælio mille ducentos ex Romanis ceciderat: sed amissis suorum viginti millibus, legatísque ad Scipionem de pace missis, imperata pecunia in amicitiam receptus fuerat. Masinissa etiam clam Asdrubale fretum trāsgressus, cum Scipio- 178
ne in colloquium venit, datâque dextra promisit ei se, si in Aphricam traiiceret, omnem operam nauaturum. Virum hunc omnibus in rebus constanti fide, vt à Carthaginiensibus deficeret huiusmodi causa commouit: Asdrubalis ducis, cum quo tum militabat, filia Masinissæ desponsa erat: eam Syphax rex deperibat. Carthaginienses, magnum momentum ad bellum præsens fore rati si tam potentem regem sibi aduersus Romanos adiunxissent, inconsulto patre filiam ei collocant: atque id Asdrubal, motus viri reuerentia, Masinissam celauit: sed ille re aliunde comperta, tum Scipionis amicitiam quæsiuit. Mago classis præfectus rebus in Hispania desperatis, in Ligures Gallósque traiecit, vt inde auxilia mercede contraheret. Post eius discessum Gaditani à Magone proditi in Romanorū venere ditionem. Inde primùm apud Romanos ortus mos in Hispaniam gentibus deuictis magistratus annuos mittendi, paulo ante centesimam quadragesimamquartam Olympiadem: qui etiam

pace prouinciæ præessent, eámque constituerent. Relicto, vt pote pacata regione, haud valido præsidio, Scipio milites omnes vulneribus debiles in vnam vrbem côpulit, quam ab Italia Italicam nominauit, claram natalibus Traiani & Hadriani, qui posteris têporibus Romanum imperium tenuere. Ipse multa classe magnificè instructa, magno captiuorum numero, pecuniis, armis, spoliisque onusta, Romam rediit, splendidéque exceptus est, ingenti incredibilique gloria, tum ob iuuentutẽ, tum in tantis rebus tam fœliciter gestis celeritatẽ: vsqueadeo vt qui eius laudi inuiderent, eum faterentur quæ temere promisisse videbatur, omnia re ipsa præstitisse. Tandem cum omnium admiratione triumphauit.

179 Indibilem, qui digresso Scipione statim rebellarat, Romani duces Hispaniæ præpositi, collecto tum ex præsidiis tum sociorum auxiliis exercitu adorti occidũt: belli concitatores in iudicium vocatos, bonis publicatis, supplicio afficiunt. Gentibus quæ arma consociarant, mulcta irrogata, armísque adeptis, obsides dare coactis, præsidia validiora imposita. Hunc exitum habuit primus Romanorũ in Hispania conatus. Posterioribus têporibus Romanis bello aduersus Gallos Padi accolas & Philippũ Macedonem occupatis, Hispani hac captata occasione res nouas moliri. Ad eos reprimẽdos Roma missi sunt imperatores Sẽpronius Tudertinus & M. Heluidius, deinde Minucius. Cui, quia maior erat motus, maioribus copiis successor missus Cato: iuuenis quidem, at seuerus, at laboris patiẽs, at prudentia & eloquẽtia tanta vt à Romanis Demosthenes vocaretur, vt qui intellexerant oratorum Græcorum longè præstantissimum fuisse Demosthenem. Is vbi in Hispaniam vectus Emporias peruenit, vndique aduersus eum hostes ad quadraginta millia coieran t. Datum aliquantulum temporis exercendis militibu s. Deinde quum iamiam esset signis

collatis cum hoſte dimicaturus, claſſe Maſſiliam remiſ-
ſa, milites admonuit non tantum imminere periculi ab
hoſtibus numero ſuperioribus (nihil enim tam arduum
quod animi fortitudine ſuperari non poſſit) quantum
ex penuria nauium: nec niſi victoribus perfugiū vllum
aut vllam ſalutem offerri. Atque ſic loquutus, non ſpe,
aliorum more ducum, ſed terrore repletum militem ad 180
pugnam educit. Conſerto prælio, ad omnia accurrere,
orare, hortari. Et poſtquā ancipiti marte ad veſperam
vſque bellatū erat, cadētibus vtrinque non paucis, ipſe
cum tribus cohortibus ſubſidiariis excelſum quendam
tumulum inſedit, vnde totū certamē oculis perluſtrare
poſſet. Inde mediā ſuorū aciem premi conſpicatus, inter
primos periculo ſeſe obiiciens accurrit: atque impetu &
clamore turbatis hoſtibꝰ, victoriæ principiū dedit. To-
tā noctē hoſtes inſequutus, multis interfectis, caſtris e-
tiam expugnatis quū rediret, milites vt victoriæ aucto-
rem gratulabundi complectebantur. Reficiendis cor-
poribus nonnihil quietis datum: tum præda vendita.
Quúmque ex omnibus partibus legationes ad eum ve-
nirent, primùm obſides petiit: deinde literas obſigna-
tas ad ſingulos populos mittit, ac tabellariis edicit (præ-
ſcripſerat autem diem, & quanto temporis ſpatio in re-
motiſſimam vrbem perueniri poſſet ſubduxerat) vt o-
mnes vno eodémque die literas redderent. Iis autem
literis iubebantur ſingularum vrbium magiſtratus eo
ipſo quo recepiſſent die muros ſuos demoliri: pro-
craſtinantibus captiuitas denuntiabatur. Illi recens in-
gēti prælio victi, & ſibi ſolis an omnibus idem impera-
retur ignari, in ſummo metu verſabantur, quippe qui,
ſi ſoli edictum hoc contempſiſſent, ſatis norant ſe non
eſſe eiuſmodi vt Romanos terrere poſſent: ſin alii
omnes paruiſſent, ne ſoli in mora eſſent metuebant.
Itaque & quia ſpatium non erat nuntios ad ſeſe mutuò

mittendi,& eorum qui literas attulerant præsentia vrgebat,dum singuli priuatæ vtilitati consulunt, omnes impigrè sua mœnia deiiciunt. Nam quandoquidem semel parere decreuerant,ex celeritate obsequii,si aliis anteuertissent,gloriam captabant.Hoc pacto omnia circa
181 Iberum amnem oppida vno die,vno imperatoris astuto consilio, suos ipsamet muros subruerunt. Inde factum vt propter infirmitatem diutius in pace se continuerint. Annis aliquot pòst,circa cētesimam &quinquagesimam Olympiadem,cum alii multi Hispani extorres,tum Iberi fluminis accolæ Lusones à Romanis defecere. Hi à Fuluio Flacco Consule victi acie per vrbes diffugere: sed qui omni penitus solo carentes, incertis sedibus degebant,Complegam confugerunt,vrbem nuper conditā, validámque & celeri incremēto auctam. Inde profecti Flacco imperant vt singulorum virorum nomine qui superiore bello ceciderant,sagum, equum & ensem dependeret:móxque,priusquam grauius quicquam obueniret,Hispania excederet.Dato responso plurima se illis saga allaturum,Flaccus legatos subsequutus vrbem castris positis circunsedit.Illi animis quàm pro tam minaci imperio longè demissioribus,fugæ sese mandarunt,ac vicinorum barbarorum agros perpopulati sunt. Vtuntur autem duplicibus vestimentis crassis chlamydum vice, & fibulis connectunt, eáque saga appellant. Flacco in imperio successit Tiberius Sempronius Gracchus,eò ipso tempore quo Celtiberorum viginti millia Carabim vrbem Romanorum sociam obsidebant. Quam quia fama percrebuerat captum iri,eo maiore Gracchus studio opem ferre properabat. Quum autem circunfusis vndique vrbi hostibus, aduentum suum obsessis significare non posset, Cominius quidam turmæ equitum præfectus,re prius perpensa, & Graccho quid pararet admonito,sagum Hispanico ritu induit: & ho-

ſtium pabulatoribus clàm ſeſe admiſcens, vt Hiſpanus caſtra eorum ſubiit: inde ad vrbem curſu delatus, oppidanis nuntiat Gracchũ aduentare. Ita illi fortiter omnia perpeſſi, die tertio aduentu Gracchi hoſtibus digreſſis, obſidione exempti ſunt. Eodem tempore ex Complega vrbe egreſſa hominum viginti millia, cum ramis ſupplicãtium more in caſtra Gracchi venientia, vbi appropinquaſſent, ex improuiſo mutatis animis impetum fecerunt, & tumultu pauoréque omnia repleuerunt. Singulari aſtutia Gracchus ſimulata fuga, caſtra deſeruit: mox cõuerſus, & direptioni intentos adortus, plurimos cecidit: vrbéque potitus, finitimos etiam perdomuit. Poſt hæc diuiſo inopibus agro, datíſque ad habitandum ſedibus, cũ omnibus ea loca incolẽtibus populis fœdus iunxit, diſertè hac cõditione vt populi Romani amici eſſent. Datum acceptúmque iuſiurandum, ſequentibus bellis Romanis ipſis gratiſſimum. Ob eas res clarum iam tum in Hiſpania tum Romæ Gracchi nomen erat, magnificéque triumphauit. Annis non multis pòſt, nouum de integro bellum in Hiſpania exarſit hac occaſione, Segeda Celtiberorum qui Belli cognominantur, vrbs ampla & potens, fœderique Sempronii Gracchi adſcripta, minoribus oppidis excitos ciues ad ſe traducebat, murúmque in ambitum quadraginta ſtadiorũ ducebat, Titthis (ea gens vicina fuit) idem facere compulſis. Senatus certior factus, primùm vetare murum extrui, deinde tributa à Graccho impoſita poſtulare: poſtremò vt cum Romanis militarent (nam & hoc in Gracchi pactione iubebatur) imperare. Quod ad murum attinet, reſponderunt Celtiberis quidem interdictum à Graccho ne nouas vrbes conderent, at ne veteres inſtaurarent aut munirent, nullum verbum eſſe factum: tributa autẽ & militiam ab ipſis Romanis poſt Gracchum remiſſam. Et ita ſe res habebat. ſed quum

182

Senatus eiusmodi priuilegia alicui indulget, sẽper hanc addit exceptionẽ, quãdiu sibi populóque Romano libuerit. Itaque aduersus eos missus est Nobilior cum exercitu fere triginta milliũ. Cuius aduentũ vt præsensere Segedenses, quia murus nondum perfectus erat, cum vxoribus ac liberis ad Aruaccos fugere: precatique vt excipe-
183 rẽtur, non modò excepti sunt, verùm etiã Carus quidam Segedẽsis, vir bello strenuus habitus, dux est electus: ac tertio post delatã imperii summã die, viginti millibus peditum, equitum quinque, locum quendã insidiis peropportunum & arboribus vestitũ insedit. Inde prætereuntes aggressus Romanos, diu æquo marte depugnauit. Tandem ciuium Romanorum sex millibus occisis (non parua clades hæc vrbi fuit) fortiter vicit: sed dum post victoriã effuso inordinatóque agmine persequitur fugientes, Romani equites, qui impedimenta seruabant, facto impetu tum Carum ipsum gnauiter dimicantem, tum alios non pauciores sex millibus cædunt. Prælium nox diremit. Accidit autem hæc clades eo die quem Romani Vulcano sacrum celebrãt. Inde nonnisi coacti eo die in hostẽ dimicarint. Ea ipsa nocte Aruacci Numãtiam validissimã vrbem cõueniunt, nouósque duces creant, Ambonem & Leucouem. Triduo pòst Nobilior subsequutus, ad vigintiquatuor stadia castra munit. Tum ad eum trecenti equites à Masinissa missi cum decem elephantis accedunt. Quibus assumptis in hostem aciem promouet, belluásque post principia, ne conspici ab hostibus possent, locat. Commisso prælio, quum se acies diduxisset, belluæ ex improuiso conspectæ tantum terroris iniecerunt tum Celtiberis, tum eorum equis, qui antea nunquam elephantos viderant, vt terga vertentes in oppidum fugerent. Fugientibus instans Romanus imperator mœnibus elephantos admo

uet. Ibi acriter pugnatum, quoad elephas ingenti saxo
in caput adacto sauciatus iras concepit, & immani cla-
more edito in suos conuersus, sine discrimine amicus
an hostis esset, in obuium quenque sæuire cœpit. Cæteri 184
ad eius vocem turbati eadem & ipsi facere, passimque
Romanos proterere, disiicere & ruere. Cæterùm solent
elephantes, quum turbati sunt, omnes pro hostibus ha-
bere, ac propter hanc perfidiam à nonnullis communes
hostes vocantur. Fuga inde Romanorũ effusa fieri cœpta
est: quam intuiti è mœnibus Numantini, eruptione fa-
cta in palatos illati ac insecuti quatuor millia trucidãt,
elephantis tribus, multis armis signisque captis. Celti-
berorũ circiter duo millia desiderata. Nobilior, quum
se ex hac clade tantulum collegisset, cõmeatum, quem
hostes ad Axenium vrbem congesserant, frustra oppu-
gnare conatus, amissis è suis non paucis, noctu in castra
rediit. Inde Biasium (præerat is equitibus) ad vicinam
quandam gentem misit, vt iuncta amicitia equestria au-
xilia posceret. Redeunti, & aliquot equites secũ adducen
ti, Celtiberi insidias tetenderunt: quibus detectis, socii
quidem fugere: sed Biasius & qui cum eo erant Roma-
ni multi interfecti sunt. Tam crebræ offensiones & cla-
des etiam sociorũ animos auertere. Ocilis vrbs, in qua
Romanorum commeatus & pecuniæ asseruabantur,
ad Celtiberos transiit. Rebus omnibus diffidens No-
bilior, in castris pro præsenti facultate tectis & ob-
structis hybernauit. Sed inopia frumenti (habuit au-
tem secum quicquid habuit) magna fuit. Adhæc crebræ
grandines & frigoris vis non parum milites afflixit:
vsqueadeo vt multi inter lignandum, alii in hyberna-
culis ob angustias frigúsque morerentur. Proximo an-
no successit Nobiliori in imperio Claudius Marcellus:
secúmque adduxit peditum octo millia, equites quin-
gentos. Huic quoque venienti ab hostibus insidiæ

185 frustra parantur. Nam cautè & circunspectè incedendo, exercitu incolumi traducto, ad Ocilim castra ponit. Quā vrbē (vt erat bello fœlix imperator) statim subegit: acceptísque obsidibus & argenti talentis tringinta veniam dedit. Audita hac clementia Nergobriges, missis legatis quæsiuere ecquid sibi quoque ad pacem obtinendam agendum foret. Ille centum equites secum militaturos petiit. Hos se daturos promiserunt. interea alia ex parte extremum agmen Romanorum aggressi, nonnihil ex sarcinis diripuerunt. Mox aduenere qui centum illos equites ex pacto debitos adducerent: qui interrogati de sarcinis direptis, responderunt nonnullos ignoratione pactorum id admisisse. At Marcellus eos vinciri iussit, equósque vendi. Deinde præda quam ex peruastatis eorum agris contraxerat inter milites diuisa, vrbem obsedit. Nergobriges vbi vallo machinísque admotis sua mœnia quati conspexerunt, præcone misso, qui pro caduceo lupi pelle esset amictus, veniam erroris petierunt. Daturum se abnuit imperator, nisi simul omnes Aruacci, Belli, Titthi peterent. Quod vbi gentibus illis innotuit, extemplo omnes legationibus missis Marcellum orare vt mediocri pœna contentus singulas ad fœdus Gracchi remitteret. Huic petitioni populi aliquot paulo antè ab illis bello lacessiti contradixere. Quapropter Marcellus vtrinque legatos Romam proficisci iubet, coram Senatu inter se disceptaturos. Priuatim etiam per literas Senatum hortatus est vt controuersias omnes decideret. Enimuero summè cupiebat imperii sui tempore bello huic finem imponi, ratus ex ea re magnam se laudem splendorémque consecuturum. Fœderatarū sociarúmque vrbium legati in vrbem admissi, hospitióque suscepti: at qui ab hostibus venerant, extra vrbem, vt moris est, diuersari iussi sunt. Senatus indignè ferens quòd se, quemadmodum Nobilior, qui an-

te Mar-

186 te Marcellũ in Hiſpania fuerat, cenſuiſſet, Romanis non permiſiſſent, pacem improbauit, nec aliud legatis reſponſum dedit, quàm Marcellum illis declaraturum Senatus voluntatem. Tum primùm decreto in Hiſpaniam exercitu ſorte milites ſunt delecti, quum prius conſcribi centuriarique ſolerent. Sed quia multi querebantur à Coss. duras conquiſitiones haberi, & certos quoſdam ad leuiores militias aſſumi, placuit exercitũ ſortitò deligi. Huic præfectus eſt Licinius Lucullus Cos. qui legatum habuit Corneliũ Scipionem, non multo pòſt euerſa Carthagine Numantiáque clarum. Dum hic ad bellum proficiſcitur, interea Marcellus impendentis belli Celtiberos admonuit, obſidéſque repetentibus reddidit. Deinde principe legationis Romam nomine Celtiberorum miſſæ clàm ad ſe accerſito, diúque retento, iam tum in ſuſpicionẽ venit (quam poſtea multo magis con firmauit) tentaſſe Celtiberis perſuadere vt ſe ſuáque omnia arbitrio ſuo permitterent: quippe qui omni ſtudio conabatur ante aduentum Luculli bello finem imponere. Nam ſtatim ab hoc colloquio, Aruaccorum quinque millia Nertobrigam vrbem occuparunt. Marcellus, ducto aduerſus Numantiam exercitu, & caſtris ad quinque ſtadia ab vrbe communitis, quum Numantinos in vrbem compuliſſet, eorum princeps Litenno inhibito curſu exclamans, ſe cum Marcello peruelle colloqui dixit. Lætis id auribus audiit Marcellus, acceptiſque quos imperarat obſidibus & pecuniis, cunctos liberos dimiſit. Hoc pacto, prius quàm Lucullus acceſſiſſet, Bellorum, Titthorum & Aruaccorum bellum extinctum eſt. At Lucullus tum gloriæ tum rei familiaris augendæ, quam anguſtam habebat, auidus, Vaccæorũ fines (gens ea Celtiberorum vicina Aruaccis) infeſto exercitu ingreſſus eſt: quum neque mandatum vllum haberet à Senatu, nec Vaccæi bellum Romanis intuliſſent,

nec vlla in re eum offendissent: traiectóque amni quem Tagum appellant, ad Caucam vrbem peruenit, & eam circumsedit. Quærentibus oppidanis eccur veniret, ecquídue bello esset opus, respondit se Carpitanis, 187
quos ipsi violassent, auxilio venire. Illi tum intra vrbem se recepere: vnde nòn multo pòst in Lucullianos milites lignatum frumentatúmque egressos impetu facto, multos cædunt, reliquis in castra compulsis. Atque vbi ad manus ventum est, Caucæi, qui fere velites omnes essent, aliquantisper superiores erant: at vbi tela defecere, tum terga verterunt, statariæ pugnæ rudes & insueti. Fuga ad vrbem facta, quum in portis colliderentur, circiter tria millia periere. Postero die seniores cum coronis ac ramis oleæ ad Lucullum accedentes, quærebant quibus conditionibus amicitiam emerent. Responsum est obsides & argenti talenta centum vt darent, eorúmque equites cum Romanis militarent. Quibus properè cõcessis, postulauit Lucullus vt præsidium in vrbem admitterẽt. Annuẽtibus & hoc Caucæis, duo millia virorum ex optimis selectorũ in vrbem inducit: quibus mandat vt ingressi mœnia occupent. Hoc facto mox reliquum exercitum immittit, & tuba signo dato Caucæos omnes interfici sine vllo ætatis discrimine iubet. Illi fœdera deósque iurisiurandi præsides inuocantes, & Romanorum perfidiam execrãtes, crudeliter necabãtur. Ex viginti millibus pauci per præruptas portas euasere. Lucullus vrbe direpta magnam infamiam Romanis cõflauit. Cæteri barbari ex planis locis in prærupta atque inaccessa confugiebant: alii in munitiora oppida quæ poterant comportabant, quæ verò relinquere cogebantur, incendebant, vt Lucullo diripiendum nihil superesset. Ille igitur, peragrata satis longa regione deserta, ad oppidum Intercatiam peruenit, quò

peditū viginti millia, equitū duo conuenerāt. Quos quū Lucullus satis imprudēter ad fœdus paciscendū hortaretur, illi Caucæorum cladem per probrum obiicere, quærerénque annon ad eandem dextram fidémque vocaret
188 quam Caucæis dedisset. Quibus cōuiciis (vt mos est omnium sibi malè consciorum) grauiter irritatus, agrum eorum peruastauit. Deinde obsessa vrbe, vallóque circūiecto, milites instructos in aciem subinde educebat, si qua ratione hostes ad pugnam elicere posset. At illi vt iusto prælio abstinebāt, sic leuibus ac velitaribus certaminibus contendebant. Porro inter barbaros vir quidam splendentibus armis insignis, crebrò inter vtrāque aciē equo vectus procedebat, è Romanis vnum, qui secum ferro decerneret, prouocans. Sed nemine sese offerēte, Romanos irridendo ac per ludibrium saltando ad suos redibat. Id quia sæpius fiebat, Scipio tum adhuc iuuenis grauiter indoluit, prosiliénsque singulare certamen subiit, ac vasto corpore virum modica ipse statura fœliciter deuicit. Hæc victoria multum Romanorum animos extulit: sed eosdē proximæ noctis varius terror turbauit, hac causa ortus. Barbarorum equites ante Luculli aduentum pabulatum egressi, quando in vrbē à Lucullo obsessā regressus nullus erat, circumeundo vociferādóque strepitu omnia replebāt: quibus qui in vrbe erāt inclusi accinebant. Quapropter ancipiti pauore Romani tenebātur, vt quibus inualidæ stationes essent, debilitatis tum assiduis vigiliis tum insueto cibo militibus. Etenim vino, sale, aceto, oleo carētes, ac tritico, hordeo, ceruorum leporúmque carnibus sine sale coctis vescentes, aluis diffiliebāt. atque hoc mortis genere multi sunt absumpti. Tādem excitato aggere, & muri crebris machinis quassati parte disiecta, in vrbē irrumpunt. vnde vi reiecti, dū se recipiūt, locorū ignoratione in cloacam ceciderunt. ibi mortui non pauci. Sequenti no-

in caput vulneratus moritur. In eius locum suffectus vir
cognomento Cæsaras. hic cum Mummio(qui cum exer
190 citu Roma nuper venerat) commisso prælio victus, fu-
git: sed quum effuso incompositóque agmine Mum-
mius insequeretur, conuersus nouem millia cec idit, &
præda omni castrisque suis receptis, Romanorum ca-
stris est potitus, & signa multa armáque diripuit, quæ
barbari tota Celtiberia per ludibrium circunferebant.
Mummius quinque millia quæ superfuerant, intra val-
lum exercebat, non prius sibi in campum descenden-
dum statuens quàm militum animos recenti clade ter-
ritos confirmasset. Qúmque barbaros obseruasset præ-
dæ partem aliquam transferentes, ex improuiso adortus,
multis interfectis & prædam & vexilla recuperauit. Lu
sitani qui alteram Tagi ripam incolūt, & ipsi Romanis
indicto bello, Caucæno ductore Cuneos Romanorum
subditos inuasere, eorúmque vrbem amplam Conistor-
gim expugnauere. Deinde traiecto ad columnas Hercu-
lis Oceano, pars Aphricam populari; alii Ocilam vrbem
obsidere. Mummius subsecutus nouem millibus pedi-
tum, equitum quingentis, quindecim millia eorum qui
agros vastabāt occidit: ex aliis tam multos vt Ocilæ vr
bis obsidio solueretur. Occurrens etiam iis qui prædam
auertebant, omnes ita deleuit vt ne nuntius quidem
cladis superfuerit. Cæterùm prædam omnem quæ ferri
posset, militibus diuisit, reliquam diis belli præsidibus
consecratam incendit. His rebus gestis Romam reuer-
sus triumphauit. Successor Mummii M. Attilius incur-
sione facta septingentos Lusitanos interfecit, excisáque
eorū maxima vrbe (Oxthracas vocitabāt) sic vicina loca
terruit vt omnia deditione acciperet: inter quæ nōnul
191 la erāt Vetonū, gētis finitimæ Lusitanis. Sed Attilio in
hyberna profecto omnes ilico defecerūt, & Romanorū
quosdā subditos obsederūt, quos dū obsidione eximere

properat Seruilius Galba(Attilio succeſſor venerat)vno die ac nocte quingenta ſtadia emenſus,in conſpectum hoſtium venit,& nulla interpoſita mora militem labore vix confectum in aciem eduxit: atque hoſtes fœliciter quidem fuſós fugatóſque imprudēter admodum eſt inſecutus. Nam quum ob laſſitudinem ſegniter atque incōpoſito agmine ſequerētur, barbari eos diſſipatos conſpicati per vices requieſcere, in vnū ſeſe agglomerātes irruerunt,& ſeptem millia peremerunt. Galba cum equitibus quos circa ſe habuit, Carmelim vrbem fuga peruenit, quò & multi alii cōfugerāt:quibus aſſumptis,collectiſque ſociorū vigintimillibus,in Cuneos tranſiit,& ibidē hyemauit. Lucullus,qui nullo populi Romani edicto Vaccæis arma intulerat,in Turdetania hyemās,poſtquā Luſitanos in proxima inuaſiſſe intellexit, dimiſſis fortiſſimis quibuſque ducibus, circiter quatuor millia occidit. Eoſdē nouis copiis irruētes,circa Gades ad mille quingētos fudit:reliquos qui tumulum quendam inſederant,obſedit,& infinitam hominum multitudinem cepit. Denique Luſitaniam ingreſſus carptim depopulatus eſt. Idem altera ex parte faciebat Galba: ad quem quum legati veniſſent, ſéque dicerent velle ea fœdera firmare quæ cum Attilio,qui paulo ante dux belli fuerat,pacti,violarāt,placidè quidē illos excepit, fidēque dedit, ſimulās ſe eorum vicem dolere quòd ob inopiam & latrocinia exercere & bella gerere & fœdera tranſgredi coacti eſſent. Nec enim (aiebat) apud me dubium quin agri veſtri infœcunditas & paupertas eò vos egerit. Proinde ſi amici eſſe volueritis, inopibus dabo terram bonam,& tres in partes diuiſos locis vberrimis ſtatuam. 192
His promiſſis pellecti,relictis ſuis ſedibus eò frequētes cōueniebāt quo Galba iuſſerat. Igitur in tria agmina partitos deſcēdere in planitiē quā ſingulis aſſignarat,iuſſit: ibique tantiſper operiri dū reuerteretur. Deinde ad pri-

mos accedens ceu iam amicos, arma deponere imperat: armis spoliatos vallo circundat. Postremò immissis aliquot viris cum gladiis, omnes trucidat, quiritantes & deorum hominumque fidem implorãtes. Eodem modo secundos & tertios ingenti festinatione deleuit, prius quàm de sociorum calamitate aliquid rescitscere potuissent. Sic perfidiã perfidia vlt⁹ est, no, vt Romanũ decuit, Romanorũ humanitatẽ, sed barbarorũ diritatẽ atq; immanitatẽ imitat⁹. Euasere tamẽ ex illis pauci, inter quos Viriatus, qui nõ multo pòst Lusitanis præfuit, editisque præclarissimis facinoribus Romanos multos occidit. Sed de iis quæ posterius gesta sunt, postea memorabimus. Galba Lucullum auaritia superans pauca de præda militi distribuebat, pauca amicis, reliqua ipse interuertebat: & quanquam Romanorũ ditissimus erat, tamen ne pace quidẽ aiunt aut mendacio aut periurio abstinuisse dum rem faceret. Inuisus igitur omnibus, & ad iudiciũ tractus, diuitiarum præsidio euasit. Haud multo pòst quos Luculli & Galbæ perfidia reliquos fecerat, ad decẽ millia cõgregati, Turdetaniam incursionibus vastarũt. Aduersus quos Roma veniens C. Vetilius, adductis nouis copiis, & quæ in Hispania erant assumptis ad decem millia, quum in primos pabulatores delapsus multos necasset, reliquos in locum quẽdam cõpulit: in quo manentibus, famis, abeũtibus, à Romanis graue periculum imminebat. tãtum difficultatis inerat. Quapropter legatis ad Vetiliũ cum ramis oleæ missis locũ ad habitãdum petebãt, séque deinceps in populi Romani potestate forẽ promitt.bãt. Vetilius & se daturum pollicebatur, & iam fœdus paciscebatur, quũ Viriatus (qui ex iniqua illa Galbæ crudelitate euaserat, & forte fortuna tunc temporis inter eos versabatur) singulos Romanorum perfidiæ admonere cœpit, qui data toties fide in eos impetum fecissent: atque eum ipsum exercitũ docuit nihil aliud es-

ſe quàm reliquias periurii Luculli & Galbæ. Ad extremū addidit, ſi pareant, tutum eſſe ex eo loco receptum. Quibus verbis permotis & in ſpē erectis omniū animis, dux eligitur: ac primùm omnes tanquā ad pugnam inſtructos in frōte collocat: deinde iubet vt, quum ipſe in equū cōſcenderit, in varias partes diſperſi diuerſis itineribus in Tribolā vrbē quam celerrime fugiant, ibíque ſe operiantur. Interea mille ſelectos, qui ſecum in acie ſtarent, retinet. His peractis rebus, ſimulatque Viriatus equum inſcendit, omnes fugam arripuere. Vetilius ita diſſipatos perſequi veritus, in Viriatum ſtantem, & occaſioni, ſiqua ſe daret, imminentem conuerſus pugnā ciebat. Sed Viriatus velociſſimis equis eius conatus eludens, nunc ſeſe ſubducendo, nunc iterum obiiciēdo occurſandóque, totum illum diem & poſterum in eo ipſo campo conſumpſit. Vt autem coniectura collegit ſocios ex fuga in tuto eſſe poſſe, noctu profectus deuiis itineribus equíſque perniciſſimis Tribolam peruenit, Romanis & propter grauem armaturam, & locorum ignorationem (adde quòd diſſimilibus equis vehebātur) ſubſequi non valentibus. Hoc pacto Viriatus exercitum ſuis rebus diffidentem ex inſperato conſeruauit. Cuius facinoris fama ad barbaros perlata plurimum illi & decoris & virium adiunxit, quarum præſidio trienniūm totum aduerſus Romanos bellum ſuſtinuit. Sed mihi eſt in animo Viriaticum hoc bellum, quod Romanos non parum exercuit, ſeorſim congerere, &, ſiquid eodem tempore in Hiſpania geſtum eſt, in alium locum reiicere. Vetilius ergo Viriatum perſequens, Tribolam ibat: verùm inter eundum dum ſyluam quandam ſuperat, & Viriatus reflexo equo à fronte & qui in inſidiis erant 194
exilientes, à tergo Romanos inuadunt. Tum occiſi multi, multi in valles præcipitati, viui etiā nōpauci in manus hoſtium venere. inter alios Vetilius: quem (quia ſenex

erat & obeſo corpore) qui ceperat, tanquam hominem nihili interfecit. Ex decem millibus Romanorum vix ſex millia Carpeſſum profugerunt, vrbem ad mare ſitã, quam ego arbitror quondam à Græcis Tarteſſum nominatam, regémque Arganthonium (qui centum & quinquaginta annos compleuiſſe fertur) in ea regnaſſe. Receptos ex fuga milites quæſtor Vetilii per mœnia diſponit adhuc trepidantes: ac quinque millia ſociorum quos à Bellis Titthiſque impetrauerat, obuiam Viriato miſit, quos ita cecidit vt ne nuntius quidem ſuperfuerit. Exinde quæſtor intra vrbem quietus auxilium Roma expectabat. Interea Viriatus Carpetanum agrum fertilem admodum, liberè depopulatus eſt: quoad C. Plautius Roma cum peditum decem millibus, equitibus mille trecentis venit. Tunc enim ſimulata fuga, miſſa ad ſe inſequendum à Plautio quatuor millia conuerſus paucis exceptis deleuit. Deinde traiecto flumine Tago, caſtra in monte oleis conſito, qui Veneris nominatur, poſuit. Vbi eum aſſecutus Plautius, dum ſarciendi damni accepti cupiditate collatis ſignis dimicat, victus ingenti clade ſine vllo ordine intra oppida refugit, & circiter mediam æſtatem ad hyberna ſe recepit, nuſquam auſus prodire. Quapropter Viriatus totam regionem liberè peruagatus, ab agrorum dominis matureſcẽtium atque inſtantium frugum pretium exigebat, & ſiqui non perſoluebant, vaſtabat ac perdebat. Quibus Romæ intellectis, Patres Fabium Maximum Æmylianum, Æmylii Pauli (qui Perſeum Macedonum regem ſuſtulit) filium in Hiſpaniam miſerunt, delectus habẽdi facta poteſtate.
Ille, quia Carthagine prius, deinde Græcia ſubactis, poſtremò bello Macedonico proſperè confecto, viris vrbs 195
exhauſta erat, vt iis parceret qui tot bellis ſupereſſent, puberum tyronum duas legiones conſcripſit: atque impetratis à ſociis aliis copiis, exercitum habens pedi-

tum quindecim, equitum circiter duorum millium, Orsonem Hispaniæ vrbem venit. Inde quòd militem inexercitatum & rudem nollet hosti obiicere nullo tentato prælio, Gades Herculi sacrificaturus freto traiecto petiit. Viriatus ex eius militibus lignatum egressis aliquot interfecit, reliquos fugauit. Eósdem à legato rursus ad pugnam instructos deuicit, ingenti præda detracta. Aduenientem autem Maximum, si fortè ad pugnam elicere posset, armatos educens milites, assiduè prouocabat. At ille, vt totis viribus decernere recusabat, sic parte copiarum emissa, leuibus committendis prælijs & hostium vires tentabat, & suis robur fiduciámque augebat. Quoties autem frumentatum ibatur, armatos milites velitum subsidio expeditorúmque equitum muniebat. Hoc eum paterna disciplina docuerat, bello Macedonico militantē. Exacta hyeme, exercitato iam & cōfirmato exercitu Viriatū fortiter præliantem secundus ipse in fugā vertit, duarúmq; eius vrbiū alterā diripuit, alterā incendit: Viriatū ipsum fugientē ad locum vsq; cui Bæcor nomen erat insecutus, multos peremit. deinde Cordubæ hyemauit. Viriatus non iam, vt ante, securus, Aruaccos, Titthos & Bellos bellicosissimos populos à Romanorum societate abduxit, qui per se aliud bellum gesserūt diuturnum & laboriosum, à Numātia vna eorum vrbe Numantinum appellatum: quod & nos post Viriaticum statim complectemur. Viriatus igitur in parte alia Hispaniæ cum altero Romano imperatore Quintio collatis signis dimicauit, & victus montem Veneris repetiit. Vnde iterum in hostes conuersus, ex Quintianis militi-
196 bus mille necauit, signi; aliquot captis, atque hostibus in castra compulsis. Quinetiam præsidium quod Itucæ erat, vi deiecit, & Basitanorum regionem depopulatus est: quum interea Quintius ob imbelliā & imperitiam non subueniret, sed Cordubæ inclusus (quò se medio au-

tumno ad hyberna contulerat) C. Martium quendam Hispanum ex Italica vrbe identidem in hostes emitteret. Anno exacto successit Quintio Æmyliani frater Fabius Maximus Aemylianus, adduxitque secum duas legiones Romanorum, & socios nonnullos, ita vt eius copiæ omnes essent circiter sexdecim millium peditum, equitum mille & sexcentorum. Scripsit etiam ad Micipsam Numidarum regem vt ad se elephantos quamcelerrimè mitteret. Properãti autem Itucam, & partem exercitus ducenti, occurrit Viriatus sex millibus militum, magno strepitu ac clamore, longâque cæsarie, quam in præliis ad terrendos hostes barbari gestare & quatere consueuerunt. Cuius impetum tantis animis sustinuit vt hostem re infecta repulerit. Sed vbi altera pars exercitus, atque ex Libya decem elephantes cum trecentis equitibus aduenerunt, auctis castris prior in Viriatum aciem deduxit, & superatum fudit fugauitque. Sed dum turbatis ordinibus fugientem insequitur, Viriatus ea confusione animaduersa, reuersus circiter tria millia interfecit, reliquos in castra egit. Castra quoque ipsa adortus est, cum vix vlli irruenti hosti ad portas se obiicerent, sed plures metu perculsi tabernaculis se abderent, nec ab ipso imperatore & Tribb. militũ ad pugnam educi possent. Inter cæteros tamen Fannii virtus (Lælii socer erat) eo prælio eluxit. Noctis superuenientis beneficio Romani seruati. Viriatus & noctu & interdiu, nulla occasione prætermissa, nunc velitibus, nũc equis velocissimis Romanos fatigando, tandem Seruilianum Itucam motis castris coegit migrare. Deinde quia iam fames sentiebatur, & copias exiguas habebat, noctu castris incensis in 197
Lusitaniam concessit. Seruilianus abeuntem non assecutus, in Bæturiam trãslato bello quinque oppida quæ Viriati rebus studuerant, diripuit. Inde in Cuneos copias traduxit. Vnde rursus in Lusitaniam cõtra ipsum Viria-

tùm cōtendit. In itinere duo latronum principes obuiſ facti Curius & Apuleius cum decē millibus hominum Romanos turbauere, conſertóque prælio, quo Curius cecidit, prædam eripuerunt: quam non multo pòſt omnem Seruilianus recepit: & alias item vrbes vi cepit, Eſcadiam, Gemellam & Obolcolam, omnes Viriati præſidiis firmatas: quarum nonnullas diripuit, aliis veniam dedit. Ex decem millibus captiuorū quos habuit, quingentos ſecuri percuti iuſſit, reliquos vēdidit. Poſt hæc hyberna adiit, altero huius belli, cui præfuerat, anno. Atque his rebus geſtis Romam rediit, ſuccedente illi in imperio Q. Pompeio Aulo. Cæterùm frater eius Maximus Æmylianus Connobam quendam latronum ducem quum deditione cepiſſet, ei quidem ignouit, ſed omnium eius militū manus amputauit. Dum verò Viriatum perſequēs, Eriſanem eius vrbem vallo foſſáque circundat, Viriatus vrbem noctu ingreſſus, facta ſub lucem eruptione, non ſolùm eos qui vallum ducebant in fugam ligonibus abiectis conſicit, verū etiam reliquas copias ab Æmyliano inſtructas vrgendo inſtandóque, in loca prærupta atque iniqua, vnde euadere nō erat, deturbat. Ibi Viriatus non inſolenter ſua fortuna vſus, ſed honeſtis conditionibus bellum deponi, & magnā à Romanis gratiā iniri poſſe ratus, fœdus pepigit quod populus Romanus poſtea ratū eſſe voluit: ipſumque Viriatum amicum nominauit, & eius ſocios quos agros
198 poſſederant habere iuſſit Sic bellum Romanis grauiſſimum cum bona gratia extinctū videbatur: ſed pax haud diuturna manſit. Cepio enim Æmyliani fœderis huius auctoris frater, & eiuſdem in imperio ſucceſſor, criminando pacta, tanquā indigna populo Romano, primùm à Senatu impetrarat ſibi vt liceret clàm pro arbitrio Viriato incōmodare: deinde aſſiduè obtundendo literáſque miſſitando, effecerat vt idem Senatus ruptis fœ-

deribus palàm bellum Viriato inferendum decerneret. Quo Senatusconsulto fretus Arsam vrbē deserēte Viria to deditione accepit,& ipsum Viriatū fugientē & obuia quæque vastantem circa Carpetaniam assecutus est, maiores secum copias trahens quàm Viriatus:qui ob paucitatem suorum prælio abstinere satius esse existimans, maiori parte copiarum per vallem quandam obscuram dimissa, reliquas in tumulo quodam instruxit,vt speciem dimicare volentis hosti præberet. Sed vbi quos præmiserat iam extra periculum esse sensit ,ad eos aduolauit, tanto contemptu hostis tantáque celeritate, vt qui insequebātur quonā se proripuisset nō sentirent. Cepio in Vetonas & Callaicos directa acie, illorum agros depopulabatur. Iam verò Viriati exemplo Lusitaniā multæ aliæ latronum manus incursionibus vastabant. Aduersus quos missus Sex.Iunius Brutus propter locorum interualla(quantum scilicet Tagus,Obliuio, Dorius & Bætis amnes nauigabiles complectuntur)celeriter huc illuc latronum more cursitantes,primò assequi,deinde,vt assequeretur, posse comprehendere desperans, non comprehēdere autem sibi turpe, at ex victis non admodum insignem fore triumphum ratus,in latronū patrias exercitum duxit, vt eadem opera & de illis pœnas sumeret (vt quos cōfidebat ad sua quenque defendenda dilapsuros) & militem suum præda locupletaret. Hanc spem cogitationémq; secum portans obuia quæque diripiebat. Ad vim arcendam egressi barbari, adiuuantibus mulieribus & tantis animis arma capessentibus vt ne media quidem cæde vocem ederent. Fuere tamen qui raptis quæ poterant,in mōtes confugiebant: quibus quia petierant veniam Brutus dedit, quæ illis restabant partitus. 199
Deīde traiecto Dorio flumine,multa loca bello lōgè latéque peruagatus,acceptis ab omnib⁹ qui in deditionē venie bātobsidib⁹,ad Obliuionē amnē progressus est,eúm-

que Romanorum primus transiit. Inde ad Nimim alterum flumen peruectum, vt Bracaris, quòd annonam quæ in Romana castra importabatur auerterant ac diripuerant, bellum inferret. Ei quoque genti in aciem armatas vxores educere mos erat, tantáque pertinacia tum viri tum mulieres dimicabant, vt potius mortem occumberent quàm aut terga verterent, aut vocem vllam indignam emitterent. Quinetiam fœminæ dum captiuæ abducerentur, aliæ sibi manus afferre, aliæ suosmet ipsæ liberos iugulare, mortémque seruitio potiorem censere. Oppida tamē aliquot in Bruti potestatem deditione venerunt, quæ non multo post desciscentia, ab eodem de integro sunt perdomita. Inter alia Talabriga, sæpius iuncto fœdere, sæpius rebellarat. Eò veniens Brutus, supplicantibus oppidanis, & sese eius arbitrio permittentibus, primùm vt trāsfugas Romanorū & captiuos armáque omnia, adhæc obsides traderent, deinde vt cum vxoribus ac liberis vrbe migrarent, imperauit. Quod vbi facere sustinuerunt, circunfusis copiis eos includens, orationem habuit, qua, quoties defecissent, quoties bellum renouassent, edisseruit. Ad extremum metu iniecto atque opinione, quasi grauiter in eos animaduersurus esset, in conuitia orationem terminauit. Sed equis & commeatu & pecuniis communibus ademptis, atque omni apparatu publico, præter spem, oppidum illis habitandum reddidit. Post tot res gestas Brutus Romam rediit. Cæterùm mihi in Viriaticam historiam congerere placuit quæ eo ipso tempore illius exemplo aliæ latronum
100 turmæ gerere cœperūt. Porro Viriatus fidissimos ex amicis, Audacem, Ditalconem & Minurum ad Cepionē pro paciscendo fœdere mittebat. Hos Cepio ingentibus donis ac multis promissis eò induxit vt Viriatum se interfecturos pollicerentur, ac tandem sic rem conficerēt. Erat Viriatus exigui admodum somni, tum ob varias

quibus diſtrahebatur curas, tum ob aſſiduos labores. Quinetiam ſæpe cum armis quieſcebat, vt excitatus ad omnia obeunda eſſet paratior. quapropter vel noctu ad eum patebat amicis aditus. Hoc more & hac libertate acceſſus, Audax & eiuſdem ſceleris populares, obſeruato primo eius ſomno, quaſi graui aliquo vrgente negotio in tabernaculum accedunt, illatáque in iugulum plaga (pars hæc ſola corporis armati nudata erat) iacentem necant. Mox ſine ſtrepitu, nemine ſentiente, quòd mortiferum vulnus opportuno loco inflictum eſſet, ad Cepionem tranſfugiunt, præmiumq; petunt. Conceſſum illis vt quæ ad eum diē poſſederāt, tutò haberēt. De præmiis ad Senatum remiſſi ſunt. Orto die clientes Viriati atque omnis exercitus rati eum quieſcere, mirabātur cur plus ſolito ſomnum produceret: donec nonnulli mortuum in armis iacere intellexerunt. Tum extemplo totis caſtris planctus ac comploratio audita eſt, afflictātibus ſeſe cunctis ob eius mortem & iam de ſua ſalute anxiis, vt qui ſecum reputarent tanto duce orbati quantis in periculis verſarentur. Maximè autem eos angebat quòd ſceleris auctores non reperiebantur. Itaque cadauer magnificentiſſimis inſtratum veſtibus in altiſſima pyra cremarunt, cæſiſque multis hoſtiis, tum equites tum pedites per turmas in orbem decurrentes cum armis barbarico more Viriatum celebrabant: nec inde prius abſceſſum quàm ignis prorſus extinctus eſt. Peracto funere gladiatorium munus editū. Hoc ſui deſyderium reliquit Viriatus, vir (vt inter barbaros) imperio digniſſimus: in adeundis periculis nulli poſterior, in præda diuidenda, æqualitatis ſtudioſiſſimus. Nam ampliorem 201
partem vel offerentibus amicis nunquā abſtulit, & eam ipſam fortibus viris diſtribuebat. Quo id aſſecutus eſt (quod difficillimum factu eſt, ac neſcio an alii duci contigerit) vt, quum exercitum haberet ex diuerſis gētibus

conflatū,tamen annis octo,quibus bellū geſſit,nulla ſeditio in eiuscaſtris orta ſit,ſed militem ſemper habuerit ad omnia obſequētem & ſubeunda pericula impigrum. In locum Viriati nouo imperatore creato Tantalo, aduerſus Saguntū expeditio ſuſcepta eſt. Hanc vrbē Annibal euerſam inſtaurauerat, & patriæ nomine Carthaginē appellarat. Repulſos inde Hiſpanos quum Bætim amnem tranſirent,ſubſecutus Cepio ita preſſit vrſitque vt Tantalus ſuis rebus diffidens & ſe &exercitum traderet, ea conditione vt nō iniquius quàm ſubditos tractaret. Omnibus armis ſpoliati,&, ne deinceps latrociniis viuerent,terra ſatis ampla donati ſunt. Hic fuit Viriatici belli exitus. Nunc ad Vaccæorum Numantinorúmque bellum,quos ad defectionem Viriatus impulerat,noſtra redit hiſtoria. Hos Roma miſſus Cæcilius Metellus auctioribus copiis territos & celeritate oppreſſos(quippe quos metentes ex improuiſo adortus erat) domuit. Reſtabant oppida duo, Termantia & Numantia,quorum vltimum propter duo flumina & valles ſyluáſque denſiſſimas circuniectas,aditu difficile erat: vna tantùm via in planitiem ferebat, eáque foſsis ac repagulis intercluſa. Numantini ipſi,egregii quidem & pedites & equites, ſed non plures octo millibus.quo numero, tametſi exiguo,ob ſingularem virtutē Romanos diu multúmque fatigarūt. Sed Metellus exacta hyeme ſucceſſori Q. Pompeio Aulo exercitum tradidit optimè exercitatum, peditum triginta millia, equitum duo. Caſtris Numātiæ admotis neſcio quò Pompeius abierat, quum Numantini
102 egreſſi aliquot eius equites diſcurrentes oppreſſerunt. Ipſe reuerſus aciē inſtruxit in planitie: Numantini ſenſim ceu fugiētes ſe recepere. Tandem tot difficultatibus 10
tum repagulorum,tum foſſarum, adhæc quotidianis velitationibus cernens Pompeius copias ſuas carpi minuique à paucioribus,Termantiam,tanquam ibi minus negotii

gotii habiturus, castra promouet. Hic quoque conserto prælio septingentos milites amisit, & Tribunum militũ in castra commeatum aduehẽtem Termãtini in fugam egerunt. Eo ipso die, tertio conflictu multi Romani pedites & equites cum equis in loca abrupta & inuia protrusi, reliqui trepidi in armis noctem insomnem traduxere. Deinde lucescẽte aurora irruentibus hostibus totũ diem æquo marte dimicarunt, donec nox superueniens prælium diremit. Inde Põpeius versus oppidulum quoddam nomine Maliam, quod Numantinorum præsidio tenebatur, contendit. Malienses per dolum cæso præsidio, vrbem Pompeio tradidere. Armis ademptis acceptisque obsidibus, in Sedetaniam trãsiit, vt eam à vastatione Tangini latronũ principis vindicaret. Atque eum quidem vicit, multósque cepit: sed tanti spiritus in latronibus fuere, vt ex captiuis nemo seruire voluerit, sed alii seipsos, alii emptores suos interficerent, nonnulli in traiiciendo naues perforarent. Pompeius ad obsidendam Numantiam reuersus, fluuium quendam deriuare conabatur, tanquam fame vrbẽ expugnaturus. Oppidani sine tubis conferti excurrentes opus impediebant, & flumen auertentibus instabant, & negotium facessebãt, repulsis siqui è vallo subueniebant, & tandem intra castra Romanis conclusis. Rursus in quosdam frumentatum egressos impetu facto plurimos occiderunt: inter alios Oppium Tribunum militum. Alia etiã ex parte Romanos aliquot fossam ducentes adorti, quadringentos cum eorum præfecto oppresserunt. Sub idem tempus Roma consiliarii aliquot venerunt, & nouus tyronum exer-
103 citus, qui dimissis veteranis (sex enim annos in eo bello consumpserant) in eorum locum succederent. Põpeius, quem tot cladium pudebat, cupiens maculam eluere, totam hyemem in castris egit. Milites sub dio sæuiente frigore statiua habentes, & tum primùm regionis aquas

& cælũ experti, alui doloribus differebãtur, vsqueadeo vt nonnulli expirarent. Cæterũ parte exercitus frumentatum emissa, Numantini positis clàm iuxta Romanorum castra insidiis, Romanos leuibus præliis ad pugnã lacessebant. Illi indignitate hac moti, castris sese effundunt. Tum qui in insidiis erant, repentè consurgunt: multi è plebe & ex nobilitate cadunt: occurrẽtes etiam frumentatoribus, non paucos strauerunt. Tot cladibus vexatus Pompeius, cum suis cõsiliariis in oppida se recepit, quod supererat hyemis transacturus, dum successor quem expectabat, primo vere adueniret. Verùm ob rem malè gestam iudicium metuens, clàm cum Numãtinis de bello dissoluendo sermones habebat. Numantini, & ipsi fracti cæde tot fortissimorum virorum, & agri inculti infœcunditate, tum victus inopia, & belli insperata diuturnitate, facilè ad Pompeium oratores de pace miserunt. Ipse quidem propalam eos vt se Romanorum voluntati permitterent hortabatur: (nec enim alia se pacta nosse quæ essent ex populi Romani dignitate) sed clàm quid acturus esset docebat. Quum ita pacti essent, séque Romanis dedidissent, obsides, captiuos & transfugas petiit accepitque. Triginta argẽti, quæ petierat, talentorum partem in præsentia Numantini numerarunt: partem Pompeius expectabat. Accidit autem, quum id quod restabat pecuniarum confecissent, attulisséntque ad Pompeium vt ei successor veniret M. Popilius Lænas. Quapropter deposito belli metu, quia sibi successu erat, sciens se ignominiosam pa- 204
cem populique iniussu fecisse, cũ Numantinis à se quicquam transactum inficiari. At illum multis testibus, & senatoribus, & equitũ magistris, & militũ tribunis, qui interfuerãt, facilè reuincebãt. Popilius eos Romam remisit, vt cũ Pompeio iudicio experirentur. Re ad Senatum relata inter se contenderunt Pompeius & Numan

tini.Cæterùm Senatui placuit bellũ cũ Numãtinis geri. Popilius nulla alia re gesta(quòd successor venisset Attilius Mãcinus)nisi quòd in Numantinorũ vicinos Lusonas exercitũ duxit,Romã rediit.Mãcinus cũ Numantinis sæpius congressus,semper victus est: tandem multis amissis in castra fugit. Et falso rumore iactato,Cantabros & Vaccæos auxilio Numantinis aduentare,trepidus noctis silentio (quam totam extinctis ignibus traduxit)in desertum locum fugit,vbi quondam Nobilioris vallum fuerat. Quo in loco neque præparato neque munito sub lucem inclusus, circunstantibus Numantinis,& omnibus necẽ minãtibus nisi pax fieret, æquas pacis cõditiones & Romanis & Numãtinis pepigit,séque sponsione obstrinxit. Quod vbi Romæ acceptũ est, omnes tã fœdo atque ignominioso fœdere vehemẽter indoluere: atque alterũ Consulem Æmyliũ Lepidũ in Hispaniam transmiserunt,Mancino(quẽ & Numãtinorũ legati sequebãtur) ad causam dicẽdã reuocato. Æmylius, dum ab vrbe responsa expectat, impatiens otii, (nam ea tempestate homines non publici commodi causa,sed aut gloriæ aut lucri priuati aut triũphi spe ambitiosa,ad imperia contendebãt) Vaccæos falsò criminabatur, tanquam bello hoc Numãtinos commeatu
205 iuuissent. Proinde vastatis eorũ agris,Palantiã oppidũ maximũ Vaccæorum, quod nulla in re pacta violarat, obsedit: accito inductóque in huius operis societatem Bruto socero suo,qui, vt cõmemorauimus, in alteram Hispaniæ partem missus fuerat. Ad hos legati Roma venientes Cinna & Cæcilius renunciarunt dubitare Senatũ,tot cladibus in Hispania acceptis,an aliud de integro bellũ Æmylio suscipiendũ sit:ac super ea re Senatusconsultum protulerunt, quo cauebatur ne Æmylius Vaccæos bello peteret.Verùm ille bello iam incepto, ratus multa Senatui incognita esse, vel illud primũ, Brutum

fecũ copias cõsociasse: deinde frumẽto, pecuniis, militib' à Vaccæis Numantinos adiutos: præterea in suo receptu maxima rerũ momẽta verti, periculumq; esse ne si Romani ceu timẽtes ab hostib' spernerẽtur, cũcta Hispania rebellaret: Cinnã re infecta remisit, & hæc ipsa ad Senatũ perscripsit. Posthæc in loco bene munito machinas fabricandas & coaceruandũ frumentũ curauit. Flaccus, qui ab eo annonæ præfectus erat, dũ in castra commeatũ importat, manifestis insidiis circumuentus, hac solertia euasit: Inter milites suos rumorem spargit Pallantiam ab Æmylio captam. Ad quam vocẽ quum plausus exultantis exercitus esset excitatus. barbari audientes, & ita se rem habere existimantes, discesserunt. Hac astutia Flaccus periclitantem annonam conseruauit. Sed Pallantiæ obsidio diutius protrahebatur, & iam deficientibus cibis fames Romanos afficiebat. nam præter iumẽta omnia ipsi etiam viri inopia moriebantur. Imperatores quidem Æmylius & Brutus constanter ac diu nihil non pertulerunt: sed tandem malis cedere coacti, repente noctu circiter vltimam vigiliam discessum denuntiant: Tribunique militum ac primipili discurrentes singulos ad discedendum priusquam lux orta opprimeret, vrgebant. Cùm igitur omnia turbulenter gerebant, tum verò saucios & ægrotos deserebant, amplectentes & ne 206
se proderent orantes. Eos ita confusis ordinibus abeuntes ac tantumnon fugiẽtes adorti Palantini, ad vesperã vsque, quum mane cœpissent, multis detrimentis affecerunt. donec intendentibus se primis tenebris, Romani fame laboréque confecti, se turmatim per agros effuderunt, & Palantini numine aliquo auertẽte ad sua regressi sunt. Romani ob res malè gestas Æmylium, abrogato imperio & consulatu priuatum in vrbẽ reuersum, pecunia insuper mulctarunt. Actũ quoque in Senatu de Mancino & Numantinorum legatis: quorum hi fœdera cum

Mancino allegabant,ille in Pompeium superiorem ducem culpā transferebat, qui ignauum sibi imbellémque exercitū tradidisset,ob eámq; causam sæpius victus, eadem & ipse fœdera cum Numātinis pepigisset. Addebat etiam, haud mirū esse si hoc bellū infœliciter cessisset, quod præter omnem æquitatem decreuissent. Sed quanuis Patres pariter vtrique succenserēt,Pompeius tamen, vt de quo pridem lata erat sententia,euasit. Mancinum autem tam fœdæ pacis iniussuque suo auctorē Numantinis dedendū censuere, Patrum exemplo, qui quondam Samnitibus viginti imperatores,qui iniussu suo iti dem fœdus percusserant,nudos dediderant. Adductum in Hispaniam Mancinum Furius Numātinis nudum dedidit: à quibus minimè receptus est. Aduersus eosdem lectus imperator Calpurnius Piso, versus Numantiam exercitum non duxit,sed Palantinorum fines ingressus, præda exigua inde abacta, quod supererat temporis imperii sui,in Carpetania hybernando consumpsit. Romæ populus hoc bello Numantino,quod opinione & longius & difficilius acciderat,offensus, alterum consulatū
207 Cornelio Scipioni,qui Carthaginem exciderat,mandauit, quòd vnum esse crederet à quo debellari Numantini possent. Sed quum infra ætatem consularem esset, censuere Patres vt, quemadmodum bello Carthaginien si factum erat,Tribb.pleb.legem illam de ætate abroga rent,& anno sequente iterum sancirent. Scipio hoc pacto iterum Consul declaratus Numantiam properabat, nullo habito delectu,quòd vrbs variis bellis distraheba tur,& satis copiarum in Hispania erat. Permittente tamen Senatu nonnullos voluntarios ab aliis vrbibus & regibus ob priuatam amicitiam missos eduxit. Quibus addidit ex vrbe clientes & amicos ad quingentos,quos in turmam vnam redactos vocitabat φίλων ἴλην,id est amicorum turmam. Hos omnes, circiter quatuor millia,

D.iii.

deducendos Buteoni nepoti tradidit. Ipse cum paucis in Hispaniam ad exercitum prægreditur. Audierat enim ibi omnia ignauia, discordia ac luxu corrupta esse. Quapropter satis sciēs à se hostes vinci non posse nisi prius suorum militū vitia cōpressisset ac perdomuisset, simulatque in castra peruenit, nihil antiquius habuit quàm vt mercatores ōnes, scorta, ariolos, sacrificos (quibus tot aduersis pugnis consternati milites plus nimiò addicti erant) expelleret: atque etiam in posterū vetaret quicquam minimè necessarium importari, ne victimam quidem diuinationis gratia: plaustra cum sarcinis inutilibus, & iumentis (præter quibus prorsus carere nō poterat) distrahi iuberet. Nec verò cuiquā licebat ad victum vas vllum habere, præter veru & ollam æneam & poculum vnū. Cibi quoque præscripti erant, carnes elixæ & assæ. Lecti interdicti: primus ipse in toris requiescebat. Mulis insidere inter eundū prohibuit. quid boni enim in bello sperandum ab eo qui ambulare non possit? Et si vnguentis & balneis vtebatur, quū ipse per iocum 208
diceret, mulis, quòd manibus carerent, opus esse aliis qui fricent: hac via simul omnes ad temperātiam reuocauit. Ad sui etiam reuerentiam & metum assuefecit, aditu se & in admittendis beneficiis, præsertim iniustis, difficilē exhibendo. Atque illud semper in ore habebat, seueros & legum iurisque seruātissimos imperatores, amicis: faciles autem & muneribus inhiantes, hostibus esse perutiles. Horum castra læta quidem, sed patere nescia: illorum vt tristia, sic morigera & ad omnia parata. Verūenimuero cum hoste prius cōfligere noluit quàm suos milites variis laboribus exercuisset. Itaque proximos agros circumiēs singulis dieb⁹, noua subīde castra muniebat, ac mox demoliebatur: fossas altissimas ducebat, & easdē replebat: muros extruebat mox diruēdos. Ipse à prima luce ad vesperā vsq; omnibus quæ gereban

tur intētus erat. Ac nequis, vt antea, in itinere à reliquis
ſeſe diſiūgeret, quadrato ſemper agmine incedebat: nec
locū vlli licebat ab imperatore datū mutare. Procedēte
agmine, à primis ad poſtremos curſitās, atq; inter eos vt
plurimū conſiſtēs, infirmos, iuſſis deſcēdere equitibꝰ, in
equos imponebat: quæ iumēta nimiū grauabāt inter pe
dites diuidebat: ſicubi ſtatiua habebat, eoſdē interdiu,
qui in itinere, pro vallo excubias agere oportebat, equi-
tū verò turmā vnā huc illuc diſcurrere. Reliquis militi
bus ſua quoq; officia deſcripta erāt: his vallū ducere, il
lis murū, aliis tētoria figere. Quin & tēporis, intra quod
omnia confecta eſſe oportebat, ſpatiū definitū ac dimē-
ſum. Sed poſtquā ſatis moriger & laboris patiēs ſuꝰ ei mi
les viſus eſt, tū verò propius Numātinos caſtra promo-
uit. Ibi non quorundā more per caſtella ſtationes diſpo
ſuit, quòd copias ſuas prorſus nollet diuidere, ne, ſi cladē
aliquam à principio acciperet, cōtemptiorē ſe hoſtibus
redderet, à quibus iā ſatis contēnebatur. Nec verò prius
cum iis bellandū iudicauit quàm & belli gerendi ratio-
nē & opportunitatē, & Numantinorū cōſilia quò verte
260 rēt, penitꝰ exploraſſet. Interea omnes pone caſtra agros
peruagabatur, indéq; pabula colligebat, & virēs frumē-
tū demetebat. Quibus peractis, quū iā vlterius procedē
dū eſſet, hortātibꝰ amicis vt breuiore per cāpos via Nu
mantiā pergeret, At ego, inquit, reditum metuo. hoſtes
enim nudi expeditique ex vrbe erūpentes, in vrbe rece
ptū habēt: at noſtri à frumētatione redeūtes, onuſti præ
da ſunt & defeſſi: adhæc vehicula iumētaque & ſarcinas
portāt. Quare grauis eſſet atque iniqua dimicatio, quæ
victis multū periculi, victoribus parū decoris aut cōmo
di allatura eſſet: ſūmæ verò amētiæ eſt ob res leues diſcri
mē adire. Atque ille iners habēdus imperator qui nulla
neceſſitate coactus pugnæ aleā ſubit: vt cōtra ſtrenuus,
qui tū demū quū ita vſus & occaſio poſtulat, intrepidè

accurreret. Opere ad eam firmitudinem perducto vt hoſtem, ſiquid conaretur, propulſare poſſet, alteram foſſam non longam ſuper illam, impactiſque in eam palis, murum extruxit latitudine pedum octo, altitudine decem, infra pinnas. Cui turres ex omni parte centũ & viginti pedum interuallo ſuperſtructæ erant. Et quia paludem continentem muro cingere non poterat, aggerem ei ſuperinduxit & latitudine & altitudine muro parem, qui vice muri eſſet. Qua ratione mihi videtur Scipio hic primus omniũ imperatorũ vrbem certamen nõ detrectantẽ circũuallaſſe. Cæterùm Durius amnis præter ipſa munimenta fluens oppidanis admodum opportunus erat, tum ad ea comportãda quæ vſui eſſent, tum ad viros trãſuehendos: ſiue vrinãdo aut nauiculis clam Romanis in vrbem traiicerent, ſiue velis, vehemẽte ſpirante vento, aut remis ſecundo flumine perrumperent.
212 Huius, propter vaſtitatẽ & impetum aquarum, põte iungendi quum nulla eſſet facultas, bina caſtella vice põtis obiecit: ex quibus lõgas vtrinque trabes funibus religatas in fluuium quàm late patebat demiſit. Erant autem infixi trabibus crebri mucrones & cuſpides, quæ vnà cum illis vi aquæ circumactæ neminem tranſire ſinebãt, ſiue natãdo vrinandóque, ſiue nauigio fallere hoſtẽ tentaſſet. Illud autem maximè cupiebat Scipio, vt nemine ad eos accedente, quid foris ageretur ignari, & commeatu & conſilio deficerentur. Poſtquam omnia perfecta ſunt, & turribus catapultæ & baliſtæ aliæque machinæ impoſitæ, & propugnacula ſaxis, telis, iaculis probè munita, adhæc caſtella ſagittariis & funditoribus firmata: crebros nuntios per totum vallum diſpoſuit, qui ſermone ab aliis excepto, ſibi quicquid fieret renuntiarent. Iuſſit etiam vt quæ prima turris ab hoſte premeretur, prima vexillum extolleret, deinde mox aliæ eius exemplo idem facerent: vt huiuſmodi ſigno motũ,

ex nuntiis motus causam verè intelligeret. Iam verò Hispaniēsibus copiis connumeratis,sexaginta hominū millia quū haberet,sic eos partitus erat vt dimidia pars murū custodiret,&,si opus esset,ad alia munia præstò esset: viginti millia pro muro, quum necesse esset, pugnarent. His succenturiati erant decies mille, quibus & suus locus constitutus erat. Sed quemadmodum iniussu imperatoris alteri in alterius locum transilire nō licebat, sic signo aliquo tumultus dato singuli suis locis aderant. Hac diligentia Scipio cūcta administrabat. Interea Numantini sæpius diuersis partibus muri custodes adorti sunt. Sed rūceleriter nec sine horrore vidisses vndiq; opē ferri,signa extolli,nūtios discurrere,qui de- 213
fendēdis muris præpositi erāt, in murū insilire: tubicines ex singulis turribus classicū canere.adeo vt totus ille ambitus stadiorū quinquaginta in orbē cūctis extēplo formidabilis existeret. Quē quidē ambitū singulis diebus ac noctibus Scipio perlustrabat, hostésq; sic inclusos,commeatu,armis,auxilio carētes, diutius posse resistere nō existimabat.Interea Retogenes Nūmātinorū fortissimus, cui Caraunio cognomē erat,assumptis secū quos in suā sententiā pertraxerat amicis quinque, totidē filiis,pari equorū numero,nocte quadā nebulosa & admodū obscura, quod inter vtraq; castra spatii erat clàm emēsus,pōte scaforio & cōpactili, quē secū attulerat,in hostiū munimētá cum amicis conscendit. Atque oppressis vtrinque vigilibus, famulisq; domū remissis, equos per pontē sursum traxerūt. Mox per Aruaccorū oppida dispersi,supplicū more cū ramis oleæ orabātvt Numātinis cōsanguineis auxiliū ferrēt.Sed multi,Romanorū metu,ne auditos quidē finibus excedere iusserunt. At iuuentus Lutiæ (oppidum fuit opulentum trecētis stadiis Numantia distans) Numantinorum rebus fauens, ciuitatem ad suppetias mittendas impellebat.

tum cõtendit. In itinere duo latronum principes obuii facti Curius & Apuleius cum decẽ millibus hominum Romanos turbauere, consertóque prælio, quo Curius cecidit, prædam eripuerunt: quam non multo pòst omnem Seruilianus recepit: & alias item vrbes vi cepit, Escadiam, Gemellam & Obolcolam, omnes Viriati præsidiis firmatas: quarum nonnullas diripuit, aliis veniam dedit. Ex decem millibus captiuorũ quos habuit, quingentos securi percuti iussit, reliquos vẽdidit. Post hæc hyberna adiit, altero huius belli, cui præfuerat, anno. Atque his rebus gestis Romam rediit, succedente illi in imperio Q. Pompeio Aulo. Cæterùm frater eius Maximus Æmylianus Connobam quendam latronum ducem quum deditione cepisset, ei quidem ignouit, sed omnium eius militũ manus amputauit. Dum verò Viriatum persequẽs, Erisanem eius vrbem vallo fossáque circundat, Viriatus vrbem noctu ingressus, facta sub lucem eruptione, non solùm eos qui vallum ducebant in fugam ligonibus abiectis conicit, verũ etiam reliquas copias ab Æmyliano instructas vrgendo instandóque, in loca prærupta atque iniqua, vnde euadere nõ erat, deturbat. Ibi Viriatus non insolenter sua fortuna vsus, sed honestis conditionibus bellum deponi, & magnã à Romanis gratiã iniri posse ratus, fœdus pepigit quod populus Romanus postea ratũ esse voluit: ipsumque Viriatum amicum nominauit, & eius socios quos agros
198 possederant habere iussit. Sic bellum Romanis grauissimum cum bona gratia extinctũ videbatur: sed pax haud diuturna mansit. Cepio enim Æmyliani fœderis huius auctoris frater, & eiusdem in imperio successor, criminando pacta, tanquã indigna populo Romano, primùm à Senatu impetrarat sibi vt liceret clàm pro arbitrio Viriato incõmodare: deinde assiduè obtundendo literásque missitando, effecerat vt idem Senatus ruptis fœ-

deribus palàm bellum Viriato inferendum decerneret. Quo Senatusconsulto fretus Arsam vrbē deserēte Viriato deditione accepit,& ipsum Viriatū fugientē & obuia quæque vastantem circa Carpetaniam assecutus est, maiores secum copias trahens quàm Viriatus;qui ob paucitatem suorum prælio abstinere satius esse existimans, maiori parte copiarum per vallem quandam obscuram dimissa, reliquas in tumulo quodam instruxit,vt speciem dimicare volentis hosti præberet. Sed vbi quos præmiserat iam extra periculum esse sensit ,ad eos aduolauit, tanto contemptu hostis tantâque celeritate, vt qui insequebātur quonā se proripuisset nō sentirent. Cepio in Vetonas & Callaicos directa acie, illorum agros depopulabatur. Iam verò Viriati exemplo Lusitaniā multæ aliæ latronum manus incursionibus vastabant. Aduersus quos missus Sex.Iunius Brutus propter locorum interualla(quantum scilicet Tagus,Obliuio, Dorius & Bætis amnes nauigabiles complectuntur)celeriter huc illuc latronum more cursitantes,primò assequi,deinde,vt assequeretur, posse comprehendere desperans , non comprehēdere autem sibi turpe , at ex victis non admodum insignem fore triumphum ratus,in latronū patrias exercitum duxit , vt eadem opera & de illis pœnas sumeret (vt quos cōfidebat ad sua quenque defendenda dilapsuros) & militem suum præda locupletaret. Hanc spem cogitationémq; secum portans obuia quæque diripiebat. Ad vim arcendam egressi barbari, adiuuantibus mulieribus & tantis animis arma capessentibus vt ne media quidem cæde vocem ederent . Fuere tamen qui raptis 199
quæ poterant,in mōtes confugiebant: quibus quia petierant veniam Brutus dedit, quæ illis restabant partitus. Deīde traiectoDorio flumine,multa loca bello lōgè latéque peruagatus,acceptis ab omnib⁹ qui in deditionē venieb ātobsidib⁹,ad Obliuionē amnē progressus est,eúm-

que Romanorum primus transiit. Inde ad Nimim alterum flumen peruẽtum, vt Bracaris, quòd annonam quæ in Romana castra importabatur auerterant ac diripuerant, bellum inferret. Ei quoque genti in aciem armatas vxores educere mos erat, tantáque pertinacia tum viri tum mulieres dimicabant, vt potius mortem occumberent quàm aut terga verterent, aut vocem vllam indignam emitterent. Quinetiam fœminæ dum captiuæ abducerentur, aliæ sibi manus afferre, aliæ suosmet ipsæ liberos iugulare, mortémque seruitio potiorem censere. Oppida tamẽ aliquot in Bruti potestatem deditione venerunt, quæ non multo post desciscentia, ab eodem deintegro sunt perdomita. Inter alia Talabriga, sæpius iuncto fœdere, sæpius rebellarat. Eò veniens Brutus, supplicantibus oppidanis, & sese eius arbitrio permittentibus, primùm vt trãsfugas Romanorũ & captiuos armáque omnia, adhæc obsides traderent, deinde vt cum vxoribus ac liberis vrbe migrarent, imperauit. Quod vbi facere sustinuerunt, circunfusis copiis eos includens, orationem habuit, qua, quoties defecissent, quoties bellum renouassent, edisseruit. Ad extremum metu iniecto atque opinione, quasi grauiter in eos animaduersurus esset, in conuitia orationem terminauit. Sed equis & commeatu & pecuniis communibus ademptis, atque omni apparatu publico, præter spem, oppidum illis habitandum reddidit. Post tot res gestas Brutus Romam rediit. Cæterùm mihi in Viriaticam historiam congerere placuit quæ eo ipso tempore illius exemplo aliæ latronum
100 turmæ gerere cœperũt. Porro Viriatus fidissimos ex amicis, Audacem, Ditalconem & Minurum ad Cepionẽ pro paciscendo fœdere mittebat. Hos Cepio ingentibus donis ac multis promissis eò induxit vt Viriatum se interfecturos pollicerentur, ac tandem sic rem conficerẽt. Erat Viriatus exigui admodum somni, tum ob varias

quibus distrahebatur curas, tum ob assiduos labores. Quinetiam sæpe cum armis quiescebat, vt excitatus ad omnia obeunda esset paratior. quapropter vel noctu ad eum patebat amicis aditus. Hoc more & hac libertate accessus, Audax & eiusdem sceleris populares, obseruato primo eius somno, quasi graui aliquo vrgente negotio in tabernaculum accedunt, illatáque in jugulum plaga (pars hæc sola corporis armati nudata erat) iacentem necant. Mox sine strepitu, nemine sentiente, quòd mortiferum vulnus opportuno loco inflictum esset, ad Cepionem transfugiunt, præmiumq; petunt. Concessum illis vt quæ ad eum diẽ possederãt, tutò haberẽt. De præmiis ad Senatum remissi sunt. Orto die clientes Viriati atque omnis exercitus rati eum quiescere, mirabãtur cur plus solito somnum produceret: donec nonnulli mortuum in armis iacere intellexerunt. Tum extemplo totis castris planctus ac comploratio audita est, afflictãtibus sese cunctis ob eius mortem & iam de sua salute anxiis, vt qui secum reputarent tanto duce orbati quantis in periculis versarentur. Maximè autem eos angebat quòd sceleris auctores non reperiebantur. Itaque cadauer magnificentissimis instratum vestibus in altissima pyra cremarunt, cæsisque multis hostiis, tum equites tum pedites per turmas in orbem decurrentes cum armis barbarico more Viriatum celebrabant: nec inde prius abscessum quàm ignis prorsus extinctus est. Peracto funere gladiatorium munus editũ. Hoc sui desyderium reliquit Viriatus, vir (vt inter barbaros) imperio dignissimus: in adeundis periculis nulli posterior, in præda diuidenda, æqualitatis studiosissimus. Nam ampliorem 101 partem vel offerentibus amicis nunquã abstulit, & eam ipsam fortibus viris distribuebat. Quo id assecutus est (quod difficillimum factu est, ac nescio an alii duci contigerit) vt, quum exercitum haberet ex diuersis gẽtibus

conflatū,tamen annis octo,quibus bellū geſſit,nulla ſe-
ditio in eiuscaſtris orta ſit,ſed militem ſemper habuerit
ad omnia obſequētem & ſubeunda pericula impigrum.
In locum Viriati nouo imperatore creato Tantalo, ad-
uerſus Saguntū expeditio ſuſcepta eſt. Hanc vrbē Anni-
bal euerſam inſtaurauerat, & patriæ nomine Carthaginē
appellarat. Repulſos inde Hiſpanos quum Bætim am-
nem tranſirent,ſubſecutus Cepio ita preſſit vrſitque vt
Tantalus ſuis rebus diffidens & ſe & exercitum traderet,
ea conditione vt nō iniquius quàm ſubditos tractaret.
Omnibus armis ſpoliati,&, ne deinceps latrociniis vi-
uerent,terra ſatis ampla donati ſunt. Hic fuit Viriatici
belli exitus. Nunc ad Vaccæorum Numantinorúmque
bellum,quos ad defectionem Viriatus impulerat,noſtra
redit hiſtoria. Hos Roma miſſus Cæcilius Metellus au-
ctioribus copiis territos & celeritate oppreſſos(quippe
quos metentes ex improuiſo adortus erat) domuit. Re-
ſtabant oppida duo,Termantia & Numantia,quorumvl
timum propter duo flumina & valles ſyluáſque denſiſſi
mas circuniectas,aditu difficile erat: vna tantùm via in
planitiem ferebat, eáque foſsis ac repagulis intercluſa.
Numantini ipſi,egregii quidem & pedites & equites,
ſed non plures octo millibus·quo numero, tametſi exi-
guo,ob ſingularem virtutē Romanos diu multúmque
fatigarūt. Sed Metellus exacta hyeme ſucceſſori Q. Pom
peio Aulo exercitum tradidit optimè exercitatum, pedi
tum triginta millia, equitum duo. Caſtris Numātiæ ad-
motis neſcio quò Pompeius abierat, quum Numantini
102 egreſſi aliquot eius equites diſcurrentes oppreſſerunt.
Ipſe reuerſus aciē inſtruxit in planitie: Numantini ſen
ſim ceu fugiētes ſe recepere. Tandem tot difficultatibus
tum repagulorum,tum foſſarum, adhæc quotidianis ve
litationibus cernens Pompeius copias ſuas carpi minuí
que à paucioribus,Termantiam,tanquam ibi minus ne-
gotii

gotii habiturus,caſtra promouet. Hic quoque conſerto prælio ſeptingentos milites amiſit, & Tribunum militũ in caſtra commeatum aduehẽtem Termãtini in fugam egerunt. Eo ipſo die, tertio conflictu multi Romani pedites & equites cum equis in loca abrupta & inuia protruſi, reliqui trepidi in armis noctem inſomnem traduxere. Deinde luceſcẽte aurora irruentibus hoſtibus totũ diem æquo marte dimicarunt, donec nox ſuperueniens prælium diremit. Inde Põpeius verſus oppidulum quoddam nomine Maliam, quod Numantinorum præſidio tenebatur, contendit. Malienſes per dolum cæſo præſidio, vrbem Pompeio tradidere. Armis ademptis acceptiſque obſidibus, in Sedetaniam trãſiit, vt eam à vaſtatione Tangini latronũ principis vindicaret. Atque eum quidem vicit, multóſque cepit: ſed tanti ſpiritus in latronibus fuere, vt ex captiuis nemo ſeruire voluerit, ſed alii ſeipſos, alii emptores ſuos interficerent, nonnulli in traiiciendo naues perforarent. Pompeius ad obſidendam Numantiam reuerſus, fluuium quendam deriuare conabatur, tanquam fame vrbẽ expugnaturus. Oppidani ſine tubis conferti excurrentes opus impediebant, & flumen auertentibus inſtabant, & negotium faceſſebãt, repulſis ſiqui è vallo ſubueniebant, & tandem intra caſtra Romanis concluſis. Rurſus in quoſdam frumentatum egreſſos impetu facto plurimos occiderunt: inter alios Oppium Tribunum militum. Alia etiã ex parte Romanos aliquot foſſam ducentes adorti, quadringentos cum eorum præfecto oppreſſerunt. Sub idem tempus Roma conſiliarii aliquot venerunt, & nouus tyronum exer

103 citus, qui dimiſſis veteranis (ſex enim annos in eo bello conſumpſerant) in eorum locum ſuccederent. Põpeius, quem tot cladium pudebat, cupiens maculam eluere, totam hyemem in caſtris egit. Milites ſub dio ſæuiente frigore ſtatiua habentes, & tum primùm regionis aquas

D.i.

& cælũ experti, alui doloribus differebãtur, vsqueadeo vt nonnulli expirarent. Cæterũ parte exercitus frumentatum emissa, Numantini positis clàm iuxta Romanorum castra insidiis, Romanos leuibus præliis ad pugnã lacessebant. Illi indignitate hac moti, castris sese effundunt. Tum qui in insidiis erant, repentè consurgunt: multi è plebe & ex nobilitate cadunt: occurrẽtes etiam frumentatoribus, non paucos strauerunt. Tot cladibus vexatus Pompeius, cum suis cõsiliariis in oppida se recepit, quod supererat hyemis transacturus, dum successor quem expectabat, primo vere adueniret. Verùm ob rem malè gestam iudicium metuens, clàm cum Numãtinis de bello dissoluendo sermones habebat. Numantini, & ipsi fracti cæde tot fortissimorum virorum, & agri inculti infœcunditate, tum victus inopia, & belli insperata diuturnitate, facilè ad Pompeium oratores de pace miserunt. Ipse quidem propalam eos vt se Romanorum voluntati permitterent hortabatur: (nec enim alia se pacta nosse quæ essent ex populi Romani dignitate) sed clàm quid acturus esset docebat. Quum ita pacti essent, séque Romanis dedidissent, obsides, captiuos & transfugas petiit accepitque. Triginta argẽti, quæ petierat, talentorum partem in præsentia Numantini numerarunt: partem Pompeius expectabat. Accidit autem, quum id quod restabat pecuniarum confecissent, attulissentque ad Pompeium vt ei successor veniret M. Popilius Lænas. Quapropter deposito belli metu, quia sibi successũ erat, sciens se ignominiosam pacem populique iniussu fecisse, cũ Numantinis à se quicquam transactum inficiari. At illum multis testibus, & senatoribus, & equitũ magistris, & militũ tribunis, qui interfuerãt, facilè reuincebãt. Popilius eos Romam remisit, vt cũ Pompeio iudicio experirentur. Re ad Senatum relata inter se contenderunt Pompeius & Numan

tini.Cæterùm Senatui placuit bellũ cũNumãtinis geri. Popilius nulla alia re geſta(quòd ſucceſſor veniſſetAttilius Mãcinus)niſi quòd in Numantinorũ vicinos Luſonas exercitũ duxit,Romã rediit.Mãcinus cũ Numantinis ſæpius congreſſus,ſemper victus eſt: tandem multis amiſſis in caſtra fugit. Et falſo rumore iactato,Cantabros & Vaccæos auxilio Numantinis aduentare,trepidus noctis ſilentio (quam totam extinctis ignibus traduxit)in deſertum locum fugit,vbi quondam Nobilioris vallum fuerat. Quo in loco neque præparato neque munito ſub lucem incluſus, circunſtantibus Numantinis,& omnibus necẽ minãtibus niſi pax fieret, æquas pacis cõditiones & Romanis & Numãtinis pepigit,ſéque ſponſione obſtrinxit.Quod vbi Romæ acceptũ eſt, omnes tã fœdo atque ignominioſo fœdere vehemẽter indoluere : atque alterũ Conſulem Æmyliũ Lepidũ in Hiſpaniam tranſmiſerunt,Mancino(quẽ &Numãtinorũ legati ſequebãtur) ad cauſam dicẽdã reuocato. Æmylius, dum ab vrbe reſponſa expectat, impatiens otii, (nam ea tempeſtate homines non publici commodi cauſa,ſed aut gloriæ aut lucri priuati aut triũphi ſpe ambitioſa,ad imperia contendebãt) Vaccæos falſò criminabatur, tanquam bello hoc Numãtinos commeatu

205 iuui ſſent. Proinde vaſtatis eorũ agris,Palantiã oppidũ maximũ Vaccæorum, quod nulla in re pacta violarat, obſedit: accito inductóque in huius operis ſocietatem Bruto ſocero ſuo,qui, vt cõmemorauimus, in alteram Hiſpaniæ partem miſſus fuerat. Ad hos legati Roma venientes Cinna & Cæcilius renuntiarunt dubitare Senatũ,tot cladibus in Hiſpania acceptis,an aliud deintegro bellũ Æmylio ſuſcipiendũ ſit:ac ſuper ea re Senatuſcon ſultum protulerunt, quo cauebatur ne Æmylius Vaccæos bello peteret. Verùm ille bello iam incepto, ratus multa Senatui incognita eſſe, vel illud primũ, Brutum

fecũ copias cõſociaſſe: deinde frumẽto,pecuniis, militi b⁹ à Vaccæis Numantinos adiutos: præterea in ſuo recepτu maxima rerũ momẽta verti, periculumq; eſſe ne ſi Romani ceu timẽtes ab hoſtib⁹ ſpernerẽtur,cũcta Hiſpania rebellaret:Cinnã re infecta remiſit,&hæc ipſa ad Senatũ perſcripſit.Poſthæc in loco bene munito machinas fabricandas & coaceruandũ frumentũ curauit.Flaccus, qui ab eo annonæ præfectus erat,dũ in caſtra commeatũ importat,manifeſtis inſidiis circunuentus, hac ſolertia euaſit:Inter milites ſuos rumorem ſpargit Pallantiam ab Æmylio captam. Ad quam vocẽ quum plauſus exultantis exercitus eſſet excitatus. barbari audientes , & ita ſe rem habere exiſtimantes , diſceſſerunt. Hac aſtutia Flaccus periclitantem annonam conſeruauit. Sed Pallantiæ obſidio diutius protrahebatur,& iam deficientibus cibis fames Romanos afficiebat. nam præter iumẽta omnia ipſi etiam viri inopia moriebantur.Imperatores quidem Æmylius & Brutus conſtanter ac diu nihil non pertulerunt:ſed tandem malis cedere coacti,repente noctu circiter vltimam vigiliam diſceſſum denuntiant:Tribunique militum ac primipili diſcurrentes ſingulos ad diſcedendum priuſquam lux orta opprimeret, 105
vrgebant.Cùm igitur omnia turbulenter gerebant,tum verò ſaucios & ægrotos deſerebant, amplectentes & ne 106
ſe proderent orantes.Eos ita confuſis ordinibus abeuntes ac tantumnon fugiẽtes adorti Palantini,ad veſperã vſque,quum mane cœpiſſent,multis detrimentis affecerunt. donec intendentibus ſe primis tenebris, Romani fame laboréque confecti, ſe turmatim per agros effuderunt,& Palantini numine aliquo auertẽte ad ſua regreſſi ſunt.Romani ob res malè geſtas Æmylium,abrogato imperio & conſulatu priuatum in vrbẽ reuerſum,pecunia inſuper mulctarunt.Actũ quoque in Senatu de Mancino& Numantinorum legatis: quorum hi fœdera cum

Mancino allegabant, ille in Pompeium superiorem ducem culpã transferebat, qui ignauum sibi imbellémque exercitũ tradidisset, ob eámq; causam sæpius victus, eadem & ipse fœdera cum Numãtinis pepigisset. Addebat etiam, haud mirũ esse si hoc bellũ infœliciter cessisset, quod præter omnem æquitatem decreuissent. Sed quanuis Patres pariter vtrique succenserẽt, Pompeius tamen, vt de quo pridem lata erat sententia, euasit. Mancinum autem tam fœdæ pacis iniussúque suo auctorẽ Numantinis dedendũ censuere, Patrum exemplo, qui quondam Samnitibus viginti imperatores, qui iniussu suo itidem fœdus percusserant, nudos dediderant. Adductum in Hispaniam Mancinum Furius Numãtinis nudum dedidit: à quibus minime receptus est. Aduersus eosdem lectus imperator Calpurnius Piso, versus Numantiam exercitum non duxit, sed Palantinorum fines ingressus, præda exigua inde abacta, quod supererat temporis imperii sui, in Carpetania hybernando consumpsit. Romæ populus hoc bello Numantino, quod opinione & longius & difficilius acciderat, offensus, alterum consulatũ
107 Cornelio Scipioni, qui Carthaginem exciderat, mandauit, quòd vnum esse crederet à quo debellari Numantini possent. Sed quum infra ætatem consularem esset, censuere Patres vt, quemadmodum bello Carthaginiensi factum erat, Tribb. pleb. legem illam de ætate abrogarent, & anno sequente iterum sancirent. Scipio hoc pacto iterum Consul declaratus Numantiam properabat, nullo habito delectu, quòd vrbs variis bellis distrahebatur, & satis copiarum in Hispania erat. Permittente tamen Senatu nonnullos voluntarios ab aliis vrbibus & regibus ob priuatam amicitiam missos eduxit. Quibus addidit ex vrbe clientes & amicos ad quingentos, quos in turmam vnam redactos vocitabat φίλων ἴλην, id est amicorum turmam. Hos omnes, circiter quatuor millia,

deducendos Buteoni nepoti tradidit. Ipse cum paucis in Hispaniam ad exercitum prægreditur. Audierat enim ibi omnia ignauia, discordia ac luxu corrupta esse. Quapropter satis sciēs à se hostes vinci non posse nisi prius suorum militū vitia cōpressisset ac perdomuisset, simulatque in castra peruenit, nihil antiquius habuit quàm vt mercatores ōnes, scorta, ariolos, sacrificos (quibus tot aduersis pugnis consternati milites plus nimiò addicti erant) expelleret: atque etiam in posterū vetaret quicquam minimè necessarium importari, ne victimam quidem diuinationis gratia: plaustra cum sarcinis inutilibus, & iumentis (præter quibus prorsus carere nō poterat) distrahi iuberet. Nec verò cuiquā licebat ad victum vas vllum habere, præter veru & ollam æneam & poculum vnū. Cibi quoque præscripti erant, carnes elixæ & assæ. Lecti interdicti: primus ipse in toris requiescebat. Mulis insidere inter eundū prohibuit. quid boni enim in bello sperandum ab eo qui ambulare non possit? Et si vnguentis & balneis vtebatur, ✝ quū ipse per iocum 108
diceret, mulis, quòd manibus carerent, opus esse aliis qui fricent: hac via simul omnes ad temperātiam reuocauit. Ad sui etiam reuerentiam & metum assuefecit, aditu se & in admittendis beneficiis, præsertim iniustis, difficilē exhibendo. Atque illud semper in ore habebat, seueros & legum iurisque seruātissimos imperatores, amicis: faciles autem & muneribus inhiantes, hostibus esse perutiles. Horum castra læta quidem, sed parere nescia: illorum vt tristia, sic morigera & ad omnia parata. Verūenimuero cum hoste prius cōfligere noluit quàm suos milites variis laboribus exercuisset. Itaque proximos agros circumiēs singulis dieb⁹, noua subīde castra muniebat, ac mox demoliebatur: fossas altissimas ducebat, & easdē replebat: muros extruebat mox diruēdos. Ipse à prima luce ad vesperā vsq; omnibusque gerebant

tur intẽtus erat. Ac nequis, vt antea, in itinere à reliquis
sese disiũgeret, quadrato semper agmine incedebat: nec
locũ vlli licebat ab imperatore datũ mutare. Procedẽte
agmine, à primis ad postremos cursitãs, atq; inter eos vt
plurimũ consistẽs, infirmos, iussis descẽdere equitib⁹, in
equos imponebat: quæ iumẽta nimiũ grauabãt inter pe
dites diuidebat: sicubi statiua habebat, eosdẽ interdiu,
qui in itinere, pro vallo excubias agere oportebat, equi-
tũ verò turmã vnã huc illuc discurrere. Reliquis militi
bus sũa quoq; officia descripta erãt: his vallũ ducere, il
lis murũ, aliis tẽtoria figere. Quin & tẽporis, intra quod
omnia confecta esse oportebat, spatiũ definitũ ac dimẽ-
sum. Sed postquã satis moriger & laboris patiẽs su⁹ ei mi
les visus est, tũ verò propius Numãtinos castra promo-
uit. Ibi non quorundã more per castella stationes dispo
suit, quòd copias suas prorsus nollet diuidere, ne, si cladẽ
aliquam à principio acciperet, cõtemptiorẽ se hostibus
redderet, à quibus iã satis contẽnebatur. Nec verò prius
cum iis bellandũ iudicauit quàm & belli gerendi ratio-
260 nẽ & opportunitatẽ, & Numantinorũ cõsilia quò verte
rẽt, penit⁹ explorasset. Interea omnes pone castra agros
peruagabatur, indéq; pabula colligebat, & virẽs frumẽ-
tũ demetebat. Quibus peractis, quũ iã vlterius procedẽ
dũ esset, hortãtib⁹ amicis vt breuiore per cãpos via Nu
mantiã pergeret, At ego, inq̃uit, reditum metuo. hostes
enim nudi expeditique ex vrbe erũpentes, in vrbẽ rece
ptũ habẽt: at nostri à frumẽtatione redeũtes, onusti præ
da sunt & defessi: adhæc vehicula iumẽtaque & sarcinas
portãt. Quare grauis esset atque iniqua dimicatio, quæ
victis multũ periculi, victoribus parũ decoris aut cõmo
di allatura esset: sũmæ verò amẽtiæ est ob res leues discri
mẽ adire. Atque ille iners habẽdus imperator qui nulla
necessitate coactus pugnæ aleã subit: vt cõtrà strenuus,
qui tũ demũ quũ ita vsus & occasio postulat, intrepidè

ſe periculis offert. Addidit etiam hanc ſimilitudinem, non ſolere medicos prius ſectionibus aut vſtionibus quàm medicamentis vti. Hæc loquutus, præfectis mandat vt longiore via exercitum circunducerent. Tunc vltra caſtra aliquot excurſionibus factis, poſt in Vaccæos ventum, vnde Numantini commeatus emebant. Ibi omnia vaſtata: quicquid ad caſtrorum alimoniam profuit, collectum & aduectum: reliqua congeſta, incendio conſumpta. Palantini agri locus fuit Coplanium nomine: in eo Palantii ſub tumulo quodam inſidias collocarant, deinde alia manu palàm Scipionis frumentatores laceſſebant. Scipio Rutilio Rufo, tum Tribuno militum (qui etiam harum rerum hiſtoriam edidit) imperat vt aſſumptis quatuor equitum turmis hoſtium impetũ propulſet. Rufus cedentes eos immoderatius vrgebat, adeò vt fugientibus permixtus vnà in tumulum euaderet. vbi quum inſidias detexiſſet, equites monuit vt de inſequendo vel aggrediẽdo hoſte iam nihil cogitarent, ſed in procinctu atque veſtigio ſtantes infeſtis haſtis irruentem cohiberent. Sed Scipio, iam ex quo Rufus longius quàm iuſſus erat excurrerat, de euentu ſolicitus, confeſtim ſubſequutus, vbi & ipſe inſidias deprehẽdit, equites bipartitos emittit, iubétque vt alternis hoſtes adoriantur, traguliſque iniectis extemplo ſe recipiant: non 110
vt vno loco coirent, ſed ſenſim nec diſſociati retrocederent. Hoc modo incolumem equitatum in planitiem reduxit. Porro certior factus, iuxta fluuium quẽdam trãſitu difficilem ac limoſum redeunti ſibi inſidias parari, alia via deflexit, longiore quidem, ſed minus dolis opportuna: noctu propter æſtum iter faciens, puteóſque fodiens, quorum plures amaras aquas habebant. Illinc, licet ægrè, viri incolumes euaſere, ſed equi aliquot ac iumenta ſiti extincta. Quum per Caucæorum agros, quos Lucullus olim tanta perfidia violarat, tranſiret, procla-

mari iussit Caucæis ad sua colenda reuerti tutò licere. Inde hybernatum in fines Numantinorum transiit: quò Iugurtha Masinissæ nepos ex Aphrica ad eum venit cum duodecim elephantis, & qui vnà in aciem prodirent sagittariis & funditoribus. His in locis crebris incursibus circuniectos agros vastanti & carpenti insidiæ clàm ab hostibus tenduntur. Loci opportunitas eos ad id consilii mouerat. vicus erat ferevndique limosa palude cinctus: sed vna parte vallis erat, in ea latebant insidiæ. Scipionis milites ita diuisi erant vt pars vicum ingressi diriperēt, alii nō multi adequitarēt. Quos qui in insidiis erāt adorti, facilè fundūt. Scipio, qui forte fortuna extra pagū circa signa constiterat, tuba reuocari iussit eos qui domos subierāt. Ac prius quàm mille numero fuissent, equitib⁹ laborātibus opē tulit, & pluribus subinde è pago accurrētibus, hostes terga vertere coegit. Nō tamen fugientib⁹ institit, sed intra vallum se recepit, paucis vtrinq; desyderatis. Haud multo pòst geminis castris proxime Numantiam positis (quorum alteris fratrē Maximum præfecerat, alteris ipse præerat) quum Numantini acie instructa Romanos ad dimicationem crebrò prouocarēt, spreuit ac risit, quòd diceret sibi vitio datum iri si cum hominibus omnium rerū desperatione efferatis mallet confligere quàm inclusos fame expugnare. * * quū ad singulos scripsisset quos mittere oporteret. Qui postquā venere, in multas partes eos diuisit: mox & suas copias partitus est, deinde singulis partibus præfectos imposuit, iussitque vt fossam vallùmque vrbi circunducerent. Erat autem Numantiæ ambitus vigintiquatuor stadiorum, valli autem duplo maior. Cæterùm distincta erant singularum partium opera, mandatùmque erat, siquid tumultus ab hostibus oriretur, signum extollerēt, interdiu pānum rubrum ex longa hasta pendentem, noctu ignem, vt celeriter ipse cum Maximo fratre auxilio

accurreret. Opere ad eam firmitudinem perducto vt hostem, siquid conaretur, propulsare posset, alteram fossam non longam super illam, impactisque in eam palis, murum extruxit latitudine pedum octo, altitudine decem, infra pinnas. Cui turres ex omni parte centũ & viginti pedum interuallo superstructæ erant. Et quia paludem continentem muro cingere non poterat, aggerem ei superinduxit & latitudine & altitudine muro parem, qui vice muri esset. Qua ratione mihi videtur Scipio hic primus omniũ imperatorũ vrbem certamen nõ detrectantẽ circũuallasse. Cæterùm Durius amnis præter ipsa munimenta fluens oppidanis admodum opportunus erat, tum ad ea comportãda quæ vsui essent, tum ad viros trãsuehendos: siue vrinãdo aut nauiculis clam Romanis in vrbem traiicerent, siue velis, vehemẽte spirante vento, aut remis secundo flumine perrumperent.
212 Huius, propter vastitatẽ & impetum aquarum, põte iungendi quum nulla esset facultas, bina castella vice põtis obiecit: ex quibus lõgas vtrinque trabes funibus religatas in fluuium quàm late patebat demisit. Erant autem infixi trabibus crebri mucrones & cuspides, quæ vnà cum illis vi aquæ circumactæ neminem transire sinebãt, siue natãdo vrinandóque, siue nauigio fallere hostẽ tentasset. Illud autem maximè cupiebat Scipio, vt nemine ad eos accedente, quid foris ageretur ignari, & commeatu & consilio deficerentur. Postquam omnia perfecta sunt, & turribus catapultæ & balistæ aliæque machinæ impositæ, & propugnacula saxis, telis, iaculis probè munita, adhæc castella sagittariis & funditoribus firmata: crebros nuntios per totum vallum disposuit, qui sermone ab aliis excepto, sibi quicquid fieret renuntiarent. Iussit etiam vt quæ prima turris ab hoste premeretur, prima vexillum extolleret, deinde mox aliæ eius exemplo idem facerent: vt huiusmodi signo motũ,

ex nuntiis motus causam verè intelligeret. Iam verò Hispaniēsibus copiis connumeratis, sexaginta hominū millia quū haberet, sic eos partitus erat vt dimidia pars murū custodiret, &, si opus esset, ad alia munia præstò esset: viginti millia pro muro, quum necesse esset, pugnarent. His succenturiati erant decies mille, quibus & suus locus constitutus erat. Sed quemadmodum iniussu imperatoris alteri in alterius locum transilire nō licebat, sic signo aliquo tumultus dato singuli suis locis aderant. Hac diligentia Scipio cūcta administrabat. Interea Numantini sæpius diuersis partibus muri custodes adorti sunt. Sed tūcelcriter nec sine horrore vidisses vndiq; opē ferri, signa extolli, nūtios discurrere, qui de- 213
fendēdis muris præpositi erāt, in murū insilire: tubicines ex singulis turribus classicū canere. adeo vt totus ille ambitus stadiorū quinquaginta in orbē cūctis extēplo formidabilis existeret. Quē quidē ambitū singulis diebus ac noctibus Scipio perlustrabat, hostésq; sic inclusos, commeatu, armis, auxilio carētes, diutius posse resistere nō existimabat. Interea Retogenes Numātinorū fortissimus, cui Caraunio cognomē erat, assumptis secū quos in suā sententiā pertraxerat amicis quinque, totidē filiis, pari equorū numero, nocte quadā nebulosa & admodū obscura, quod inter vtraq; castra spatii erat clàm emēsus, pōte scaforio & cōpactili, quē secū attulerat, in hostiū munimēta cum amicis conscendit. Atque oppressis vtrinque vigilibus, famulisq; domū remissis, equos per pōntē sursum traxerūt. Mox per Aruaccorū oppida dispersi, supplicū more cū ramis oleæ orabāt vt Numātinis cōsanguineis auxiliū ferrēt. Sed multi, Romanorū metu, ne auditos quidē finibus excedere iusserunt. At iuuentus Lutiæ (oppidum fuit opulentum trecētis stadiis Numantia distans) Numantinorum rebus fauens, ciuitatem ad suppetias mittendas impellebat.

Qua de re clàm certior Scipio à senioribus vrbis factus, assumptis secū quàplurimis expeditis, octo horis Lutiā aduolat, ac sub lucis ortū, præsidio cincta vrbe, iuuētutis duces ac principes sibi dedi iubet. Quos quū erupisse abiisséque diceret, Scipio per præconem minatus est, ni traderētur, vrbem se direpturum. Territi illi circiter
214 quadringētos adduxerunt. Quorū amputatis manibus, abductóque inde præsidio, postero die sub auroram in castra reuertit. Numātini fame vexati quinque viros ad Scipionem mittūt sciscitatum an clemēter & benignè, si sese dederent, esset accepturus. Ibi legationis princeps Auarus de institutis ac virtute Numantinorum magnificè ac superbè disseruit, addiditque nihil delinquere Numantinos si pro liberis & vxoribus & patriæ libertate in tantas ærumnas incidissent. Quare par est (inquit) ô Scipio, singulari te virtute hominem parcere nostro generi strenuo ac generoso, & minus iniquas cōditiones nobis proponere, quas modò fortunæ vices experti ferre valeamus. Etenim non iā arbitrū nostri est, sed tui, vrbem nostram, si æqua imperes, deditione accipere, aut pugnādo sinere totam perire. Sic loquuto Auaro Scipio (iam antè de statu vrbis à captiuis certior factus) nihil aliud respōdit quā oportere vt se vrbémque cum armis traderēt. Quib⁹ Numātiam perlatis, oppidani satis iam sua sponte ira accensi (vt qui mera libertate frui, nulliúsque imperio parere didicissent) tum malis vrgentibus multo magis exulcerati atque efferati, Auarum & legationis socios, ceu malorum nuncios, & cum Scipione fortasse de priuata salute pactos, interfecerūt. Non multo pòst cibis omnibus deficiētibus, quum iam non frumentum, non pecudem, non herbam haberent, primùm (vt in bellicis incommodis vsu venire solet) pelles coctas mandebāt: quibus itidem deficiētibus, carnibus morientiū hominū minutatim cōcisis vescebātur. Ægrotantiū

autẽ carnes illis deguſtatis faſtidire cœperũt,&robuſtio res debiliorib⁹ vim afferre. Denique nullo nõ mali gene re premebãtur, animis eo victu efferatis, corporibus fame, peſte, pilis & tẽpore hiſpidis & belluarũ ſpeciẽ refe rẽtibus. Hunc in ſtatũ redacti ſeſe Scipioni permiſerũt: à quo iuſſi eo ipſo die arma omnia in certum quendam lo 215
cum conferre, poſtero autem in alium locum conueni re. ſed illum diem diſtulere, profeſſi multos adhuc libertatis deſyderio velle ſibi mortem conſciſcere. Quapropter diem illum petebant ad genus mortis conſtituendum. tantus amor libertatis ac virtutis fuit in vrbe bar bara & exigua. Nam quum ante belli initium non plures eſſent octo millibus, quantis ſæpe cladibus Romanos affecerunt? Quoties æquis conditionibus fœdera pe pigerunt, quibus Romani poſtea ſtare non ſuſtinuerũt? Qualem extremum imperatorem Romanum ſexaginta hominum millibus ſeſe obſidentem ſæpius ad certamẽ prouocarunt? Sed ille ſe rei militaris peritiorem oſtendit, qui cum belluis manus conſerere noluerit, ſed inexpugnabili malo fame confecerit: quo ſolo vt vinci poterant, ſic victi tandem fractique ſunt. Cæterùm mihi co gitanti quæ in tanta militum paucitate Numantini tam diuturnam obſidionem conſtanter perpeſſi præclara fa cinora edidere, nefas eſſe viſum eſt ea ſilẽtio præterire. Facta igitur deditione, diuerſo mortis genere, prout cui que libitum eſt, multi ſeſe peremere: reliqui tertio die in campum quò iubebantur conuenerunt, fœdo corporis habitu, oris ſpecie efferata, corporibus illuuie ſqualoréque obſitis, pilo immiſſo, vnguibus ſordidis, ipſi olidi veſte immunda & lacera, nec minus grauiter olente. Quo in ſtatu vel hoſtibus ipſis miſerabiles videbantur, tametſi eorum aſpectus horrorem intuentibus incutiebat. Nam ira, dolore, labore, conſcientia mutui carnium humanarum eſus, truces erant illis & ardentes o-

culi. Quinquaginta tantùm triūpho reseruatis, reliquos Scipio sub corona vendidit: oppidum solo æquauit. Romanus hic imperator duas potētissimas vrbes euertit, Carthaginem ex Senatusconsulto (ne vrbis imperiique
216 magnitudo ac loci opportunitas ad bellum adhortaretur) & Numantiam, exiguam nec admodum frequentem, quum nihil dum populus sciuisset: siue ipse id crediderit è Rep. esse, siue ira & contentione præceps in captos sæuierit, siue potius (vt multi arbitrantur) illustria duo cognomina ex clarissimarū vrbium excidiis quæsiuerit. Siquidem illum ad hunc vsque diem Romani Aphricanum & Numantinum ex illarum vrbium cladibus excidiisque appellant. Numantino agro inter vicinos diuiso, quū reliquas ciuitates ius dicendo perlustrasset, & nutantes socios aut increpuisset aut pecunia mulctasset, domum rediit. Romani de more ad eos Hispaniæ populos quos recens Scipio & antea Brutus vel volentes vel vi subegerat, decem Senatores, qui rebus cōstituendis & pacificandis vacarent, misit. Posteris temporibus, exortis aliis bellorum motibus, Calpurnius Piso cum imperio missus est: cui successit Seruilius Galba. Sed quum Italia Cimbrico, Sicilia seruili bello iterum premeretur, Romani tot bellis distracti nullas in Hispaniam copias misere, sed tantùm legatos, qui bella, quoad eius fieri poterat, vbique sedarent. Cimbris ab Italia reiectis, T. Didius eò veniens, Vaccæorum viginti millia deleuit, Termisúmque oppidum amplum, Romanis semper infidum, ex loco tuto in planitiem transtulit, iussis oppidanis sine munimentis habitare. Deinde Colendam vrbem post septimestrem obsidionem deditione accepit: ciues omnes cum liberis & vxoribus vendidit. Porro non procul Colenda conuenæ Celtiberorum habitabant, quos Marius

quinque antè annis, quòd eorum opera contra Lusitanos vsus erat, approbante Senatu, datis illic sedibus constituerat. Hos ob inopiam latrociniis viuentes Didius, assentientibus decem legatis, qui non- 217
dum abierant, quum statuisset tollere, nobilibus eorum denuntiat velle se inopibus Colendensium agrum assignare. Quam conditionem cupidè admittentes * * protinus cum liberis ac vxoribus ad agrum diuidendum adesse iubet. vbi venissent, præcepit militibus vt extra vallum egrederentur: ipsis verò, vt intra progrederentur, viri separatim à fœminis & pueris. velle enim singulorum nomina conscribere, vt intelligeret quantum agri foret diuidendum. Omnes vallum fossámque transgressos, circunfuso milite, trucidauit. ob quas res etiam triumphauit. Iterum rebellantes Celtiberos Flaccus eò dimissus, cæsis viginti millibus, repressit. Apud vrbem populus ad defectionem spectans, Senatum tardantem & recusantem in ipsis subselliis cremauit. Cuius facinoris auctores adueniens Flaccus punitus est. Posteris temporibus, quum Sylla & Cinna diffidentes ciuilibus bellis & castris contra patriam conspirassent, Q. Sertorius Cinnæ partium, imperator in Hispaniam electus, prouinciam ipsam aduersus Romanos concitauit, conflatóque ingenti exercitu, & amicorum consessu ad exemplum Senatus descripto, magna fiducia & animis, ipse alioqui audacia insignis, aduersus vrbem contendebat. Qua re territi Patres præstantissimos ex suo ordine & clarissimos duces, Cæcilium Metellum cum valido exercitu, & Cn. Pompeium cum altero emiserunt, vt ex Italia bellis intestinis laborante pro viribus depellerent. Sed Sertorium Perpenna earundem partium interfecit, séque factionis ducem præ-

118 buit. Quo à Pompeio acie victo & sublato, bellũ quod Romanos maximo terrore perculerat restinctũ est. Sed de hoc accuratius in historia belli ciuilis Syllani. Post obitum Syllæ, C. Cæsar imperator in Hispaniam creatus vt arma inferret quibus vtile esse censeret, quicquid in Hispania nutabat, aut nondũ Romanis parebat, subegit. Deinde Octauius Cæsar Caii filius cognomento Augustus populos quosdam deintegro rebellantes domuit. Ex eo tempore mihi videntur Romani Iberiam, quam nunc Hispaniam vocant, in tres partes diuidere, & prætores annuos in singulas mittere, quorum duos Senatus, tertium imperator arbitratu suo decernit.



120 VAE verò Annibal Carthaginiẽsis, traductis ex Hiſpania in Italiã copiis, totos ſexdecim annos, quibus in bello permã ſit, & intulerit damna & viciſſim à Romanis acceperit (donec à ciuibus, vt periclitanti patriæ opem ferret, reuocatus, & à Romanis Italia expulſus eſt) declarat hic liber. Cæterùm quam irrumpendi belliq́ue in Italiam transferendi veram cauſam occaſionémque propalam prætexuerit, etſi in Hiſpanica hiſtoria accuratiſſimè declaratum eſt, non tamen alienum fuerit, refricandæ memoriæ gratia, paucis repetere. Amilchar cognomento Barca, Annibalis huius pater, eo bello quod inter ſe Romani & Carthaginiẽſes geſſerunt, Carthaginiẽſium copiis præerat: & quum ob rem malè geſtam ab inimicis accuſaretur, veritus ille perfecit vt aduerſus Numidas, priuſquam ſuperioris imperii rationes redderet, imperator crearetur. Quo bello quia multũ profuerat Reipub. ac donis rapiniſque exercitum delinierat, eundem, dimiſſo populo Carthaginiẽſi, Gades primò, inde traiecto freto in Hiſpaniam traduxit. vnde miſſitandis plurimis Carthaginẽ è præda muneribus, populum ſibi conciliabat, ſiqua via Sicilienſis ignominiæ memoria ſibi infenſum placare poſſet. Tandem ſubactis aliquot regionibus, & ingẽti gloria parta, Carthaginiẽſes etiam in ſpem cupiditatémque totius Hiſpaniæ potiundæ (tanquam id facile foret) adduxit. Itaque Saguntini aliique Græci qui in Hiſpania habitabant, ad Romanos confugiunt. Conuenerat autem inter Romanos & Carthaginiẽſes, atque fœderibus adſcriptum erat, vt Carthaginienſis imperii finis eſſet Iberus amnis. Poſthæc Barca, cõſtitutis in Carthaginienſibus ſubdita Hiſpania rebus, prælio quodam

interfectus moritur,suffecto in eius locũ Asdrubale Barcæ genero, qui & ipse à seruo, cuius herũ occiderat, in venatione obtrũcatur. Tertius ab iis,quòd rei militaris & peritus & auidus haberetur,Hispanorũ imperator ab exercitu appellatus est Annibal hic,Barcæ filius, & vxoris Asdrubalis frater, iuuenis admodũ, vt qui propter ætatem cum patre aut affine semper vixerat. Delatum à militibus imperium Carthaginiensis populus cõprobauit. Hoc pacto Annibal hic,de quo sum scripturus, Carthaginiensium imperator aduersus Hispanos significatur. Qui vbi paternis & Asdrubalis amicis ab eorundem inimicis, iuuentutem suam despicientibus, negotium exhiberi videret, nõ ignarus eorum pericula in suum aliquando caput redundatura, vt ex publico metu libertatem securitatémque compararet ac stabiliret,graui aliquo bello patriam implicare cogitabat. Quam ad rem quum nullum iudicaret accommodatius quàm Romanum, nec diuturnius, nec sibi gloriosius: vtpote quod vel tentasse, etiamsi infœliciter cederet, haud paruam laudem mereretur: (vt omittam quòd fama percrebuit, puerum eum aris admotum iureiurando à patre adactũ nunquam non Romanis incommodaturum) statuit omnino præter fœdera Iberum traiicere. Occasionem hoc pacto reperit: Allegatis in Saguntinos accusatoribus,creberrimis literis Senatum obtundendo,dicendóque cunctam Hispaniam à Romanis ad defectionem solicitari, tandem impetrauit vt arbitratu suo de Sagũtinis statueret. Transmisso igitur Ibero,Saguntinorum vrbem funditus deleuit. Sic rupta sunt fœdera quæ inter Romanos & Carthaginienses post bellum Siculum icta fuerant. Verùm quæ Annibal cæterique tum Romani tum Carthaginienses duces in Hispania gesserũt, explicat Hispanica historia. Ille ergo assumptis Celtiberorum, Aphrorum diuersarúmque gentium quamplurimis, tradita

122 fratri Aſdrubali Hiſpaniâ, in Celticam, quæ nunc Gal-
lia nominatur, ſuperato Pyrenæo tranſiit, ſecum du-
cēs peditum nonaginta, equitum duodecim millia, cum
elephantis trigintaſeptem. Gallorum quoque aliquot,
partim auro conciliatos, partim verbis, alios vi ſe-
cum abduxit. Inde iter ingreſſus, vbi ad Alpes peruenit,
quanquam nec tranſitum nec aſcenſum vllum videbat,
(omnia enim prærupta atque inacceſſa erant) fiducia ta-
men animi nullis laboribus cedentis progredi cōſtituit.
Quúmque alta niue glaciéque concreta forent omnia,
ingenti cæſa materia & ſuccenſa, cineribus aqua acetó-
que extinctis, torridam & putrem incendio rupem tu-
ditibus ferreis perfringendo comminuendóque, viam
ſibi aperuit, quæ nunc quoque teritur, & tranſitus An-
nibalis nominatur. Sed vbi fames exercitum afficere
cœpit, tum feſtinantius agmen deducere, quum nemo
adhuc præſciſceret eum in Italiam aduenisse. Sexto mē-
ſe poſtquam ex Hiſpania mouiſſet, vix tādem multis a-
miſſis è montibus in plana deſcēdit. ibi aliquantū quie
tis militi conceſſum. Inde Tauraſia Gallicum oppidum
bello petitum. Quo vi expugnato, & captiuis ad terrē-
dos reliquos Gallos interfectis, ad Eridanum fluuium
(nunc Padus eſt) quibus in locis Romani cū Gallis Boiis
armis contēdebant, mota ſunt caſtra. Conſul Romanus
P. Cornelius Scipio in Hiſpania cum Carthaginienſibus
bellum gerens, vt Annibalem in Italiam tranſgreſſum
intellexit, relicto in Hiſpania præpoſitóque exercitui
fratre Cn. Scipione, in Hetruriam nauigauit. Vnde di-
greſſus, conflata quammaxima manu occupauit ante
Annibalem Padum traiicere: remiſſiſque Romam Man-
lio & Attilio, qui bello contra Boios præfuerant (præſē-
te enim Conſule nullum imperium habebant) & acce-
ptis eorum copiis, ad confligendum cum Annibale a-
123 ciem inſtruebat. Commiſſo inter iaculatores expeditos

E.ii.

equitéſque prælio, Romani ab Aphris circunuenti in ca-
ſtra fugêre. Nocte proxima Placentiam ſeſe receperūt,
locum bene munitum, reſciſſo quo Padum traiecerant
ponte. Verùm Annibal nouo facto & ipſe copias ſuas
traduxit. Hoc vnum atque alterum præclarum facinus,
ex quo ex Alpibus in campos patentes deſcenderat, a-
pud Gallos trāſalpinos cum non parum extulit, ceu qui
inuictus dux foret, omnibuſque in rebus propitia vte-
retur fortuna. Quam famā vt augeret inter barbaros, &
admiratione ſui propè attonitos, & proinde deceptu fa-
ciles, veſtem ſubinde & comam mutabat, nouo quoti-
die artificio præparatam & tinctam. Quapropter quum
eum regiones peragrātem, nunc ſenem, nunc iuuenem,
nunc mediæ cuiuſdam ætatis, denique alium ex alio fie-
ri cernerent: mirabundi diuinā quandam in eo naturam
eſſe iudicabant. Sempronius alter Coſ. qui in Sicilia tum
erat, certior factus, ad Scipionem nauibus venit, & qua-
draginta ſtadiis à collega diſiunctus, conſedit. Et iam
omnes ad inſequentis diei prælium accingebantur. Sed
Trebia flumen interpoſitum obſtabat, quod Romani
ante lucem, brumæ die prægelido & pluuioſo, pectore te-
nus aquam ingreſſi traiecerunt, dum Annibal ad horā
ſecundam milites in caſtris refectos educeret. Ambo
Coſſ. ſic aciem inſtruxerunt vt ipſi in cornibus eſſent,
recepto in medium robuſtiore peditatu. Annibal equiti-
bus elephantos oppoſuit, phalangi pedites. equites poſt
elephantos ſtare quietos iubet, donec eis ſignum da-
ret. Commiſſo prælio, Romanorū equi elephantorum
tum viſu tum odore inſolito territi fugam latè fece-
runt. At pedites, tametſi gelu rigerent & aqua perfuſi,
vigiliiſque confecti ac debilitati eſſent, animis tamen 124
reſiſtentes, in belluas ferebantur, eáſque conciſis ner-
uis vulnerabant. Nec dubium quin pedites in fugam
compuliſſent, niſi Annibal dato ſigno equitatum ſuum

ad hoſtē circunueniendū immiſiſſet. Tunc enim Romanorū peditatus, equitibus, quos terror belluarū diſiecerat, nudatus, & multitudine oppreſſus, metuēs ne ab hoſtibus circūcluderetur, haud dubia fuga caſtra repetiit. Ibi multi pedites ab equitibus intercepti ſunt: alii qui flumen petiere, gurgitibus abſumpti (orti enim ſolis calore liqueſcente niue haud parum auctum erat) quum nec ſtare propter aquæ altitudinem, nec nare ob arma poſſent. Scipio ſubſequens, militéſque cohortans, fere eſt occiſus, acceptóque graui vulnere vix Cremonā delatus. Prope Placētiam exiguum caſtellum fuit, ad quod oppugnandum profectus Annibal, quadringentis amiſſis, ipſe vulneratus diſceſſit. Exinde omnes ad hyberna ſe contulerunt, Scipio Cremonam & Placentiam, Annibal iuxta Padum. Romani audita hac tertia clade ad Padum accepta (nam ante Annibalis aduentum à Boiis ſuperati fuerant) nouum ex ſeipſis exercitum conſcripſerunt, adeo vt connumeratis iis qui ad Padum erant, treſdecim legiones eſſent, duplo maiorem ſociis imperarunt. Et iam tum legio quinque peditum millia & trecentos continuit equites. Harum aliquot in Hiſpaniam, nonnullas in Sardiniam (nam & ibi bellū erat) quaſdam in Siciliam mitti placuit. Quæ reſtabant maiore numero aduerſus Annibalem deduxere Coſſ. Cn. Seruilius & C. Flaminius, qui Scipioni & Sempronio ſucceſſerant. Seruilius propere ad exercitum profectus, à Scipione traditum imperium accepit. Scipio in Hiſpaniam Procoſ. nauigauit. Flaminius triginta peditum millibus, equitum tribus, Italiā quæ intra Appēninum eſt, tuebatur, quam
125 ſolam propriè Italiam dixeris. Appēninus enim ex mediis Alpibus in mare procurrit: ad cuius dextrum latus ea eſt quæ verè Italia dicitur: à ſiniſtro ad Ionium mare nunc quidem Italia eſt (nam & Hetruria Italia eſt) ſed tamen partem eius circa littus Ionium incolunt Græci,

partem Galli, qui quondam Romam bello adorti incẽderunt. Quos quum Camillus fugientes ad Appenninũ vſque perſequutus fuiſſet, arbitror ſuperato monte pro ſedibus patriis iuxta Ionium cõſediſſe. Vnde nunc quoque partem eius regionis Italiam Gallicam nominant. Hoc pacto Romani diuerſis in locis ingentes exercitus eodem tempore habebant. Annibal vbi reſciuit hæc, clam omnibus ad prima ſigna veris in Hetruriam venit, eámque latè perpopulatus eſt. Quúmque vrbem verſus procederet, magnus terror Romanos occupauit, exercitu, quem aduenienti Annibali obiicerent, carentes. Ex iis tamen qui ſupererant ad octo millia conflauerunt: quibus, quia deerat alius magiſtratus, præfecerunt Centenium, priuatum quidem, ſed patritia gente virum: & in Vmbriam ad Pleſtinam paludem, vt qua ad vrbẽ propior eſt via fauces præoccuparet, emiſerunt. Interea Flaminius, qui triginta hominum millibus interiorem Italiam cuſtodiebat, audita Annibalis celeritate, metuens vrbi ſtatim caſtra mouit, nullâque agmini conceſſa requie, vir rei bellicæ ignarus, qui faſtu & iactatione populari ad imperium lectus fuerat, magnis itineribus ad Annibalem, vt quamprimùm confligeret, properabat. Cognita hominis ferocia & imperitia Annibal caſtra poſt montem quẽdam paludémque locat, leuem armaturam equitatúmque in valle abſcondit. Mane ſub lucis ortũ conſpicatus hoſtiũ caſtra Flaminius, paululũ ibi, dũ reficeret exercitũ, moratus, vallum inſuper iecit. quo facto, mox in aciem copias educit, nondum à vigiliis ac laboribus recreatas. Sed poſtquam vndique inſidiæ erupérunt, tum monte & lacu clauſus, & hoſtibus circunfu- 126
ſus, occiditur, & cum eo viginti hominum millia. Reliquos decies mille, qui in pagum quendam natura munitum confugerant, Maharbal inter Annibalis duces, ma-

gnam & ipſe ex re militari laudem cõſequutus, quia vi expugnare facilè non poterat,cum deſperatis autem dimicandum non ducebat,perſuaſit vt arma traderent, fidémque dedit ſe quò vellẽt abire permiſſurũ. Armis depoſitis nudos ad Annibalẽ deduxit: qui negans iniuſſu ſuo potuiſſe Maharbalẽ quicquã paciſci,quos ex ſociis captiuos reperit,humaniter tractatos ſine pretio dimiſit,hac clementia ciuitates ad ſe alliciens & venans: Romanos omnes in vinculis habuit. Gallorum quoque auxiliis, vt eos quæſtu delinire, prædam diſtribuit. Poſt hæc vlterius progredi cœpit. Harum rerum fama ad Seruilium Coſ. iuxta Padum ſtatiua habentem peruenerat: iſque iam cum quadraginta millibus in Hetruriam properabat. Adhæc Centenius octo millibus anguſtias obſederat. Annibal Pleſtinam paludem montémque ſuperiectum conſpicatus, & Centenium tranſitum tenẽtem, diligenter itinerum duces eſt percunctatus num qua parte mons circũiri poſſet. Quum nullos ad tranſitum calles eſſe, ſed cuncta derupta atque confragoſa dicerent, nihilominus Maharbalem cum leui armatura noctu montem circumire iubet, & ſub id tempus quo conijectabat eum in montem euaſiſſe, Centenium à fronte adoritur. Dum prælium conſeritur, Maharbal ſtrenuè certè in montis vertice ſublato clamore ſeſe oſtendit. Tum Romanorum fuga ſtragéſque fuit magna: tria millia occiſa, capti octingenti: reliqui vix euaſerunt. Hac clade audita, qui in vrbe erant Romani grauiter timuerunt ne confeſtim Annibal exercitum ad vrbem admoueret. Quapropter muros telis munierunt, & ſe-
127 nes armarunt, &, quia deerant arma, quæſita aliis bellis & ad decus affixa templis ſpolia detraxerunt: quódque etiam in maximo metu fieri ſolet, Fabium Maximũ Dictatorem crearũt. Sed Annibal, Deo auertente, ad Ionium iter flexit, vaſtatáque maritima regione ingẽtem

prædam egit. Seruilius Cos. Annibali sese opponens, Ariminum deuenit, atque, vt Gallos nondum alienatos in fide contineret, itinere vnius diei ab eo exercitum continuit: donec veniens Fabius Maximus Dictator Seruilium, vt qui nec cõsulatum vllum, creato dictatore, nec imperium gereret, Romam remisit. Ipse Annibalem per vestigia subsequens, prælio omni abstinebat, quanuis identidem prouocaretur: satisque ducebat si obseruando instãdóque, nequod oppidum obsideret, impediret. Annibal vastata regione famem sentire cœperat. quare eandem iterum obeundo, singulis diebus eductis in aciem copiis ad pugnam Fabium elicere conabatur. Verùm nullam pugnandi copiam faciebat Dictator, improbante quidem eius factum Magistro equitum Minucio Rufo, qui Romam ad amicos scriptitabat Fabium ignauia & timiditate prælium horrere. Accidit autem vt sacrificiorum causa Romam profecto Fabio, Minucius cum Annibale collatis signis dimicaret. Quo prælio quia superior fuisse videbatur, tum ferocius mittendis ad Senatum literis, Fabium criminari, tanquam vincere nolentem. Senatus reuerso in castra Fabio, Dictatoris ac Magistri equitum ius æquari voluit. Quamobrem copias inter se partiti, prope se inuicem castra metati sunt, ambo in sua opinione hærentes: Fabius, vt Annibalem mora conficiendum ac vexandum duceret, dandámque operam nequid detrimenti ab eo caperet: Minucius, marte quamprimum decernendum. Qui paulo pòst, quum manus cum Annibale confereret, interea copias suas Fabius quietas continuit, satis præuidens 118 casum futurum, & Minucii militem: in fugam versum recepit, Annibalem autem insequentem repressit: atque hoc modo ab ingenti clade Minucium vindicauit, nihilo illi infensior ob falsò sibi imposita crimina. Tum Minucius vltro seipsum damnans inscitiæ, deposito impe-

rio,partem exercitus Fabio tradidit. Cuius rei poſteris temporibus ſæpius meminit Auguſtus,qui & ipſe tardus in prælia erat,& arte vti quàm audacia malebat. Fabius non ſegnius quàm antea Annibalem explorabat, atque à populatione prohibebat, ita tamen vt in vniuerſæ dimicationis caſum non veniret,ſed ſiquos palantes offenderet,aggrederetur:haud dubiè ſciens Annibalem breui omni commeatu defectum iri.Appropinquãte autem ad anguſtias quaſdam vtroque exercitu, Annibal quidem eas non præuidit: at Fabius præmiſſis quatuor millibus hominum eas ſtatim occupauit, ac cum reliquis ex altera parte in tumulo quodam firmo caſtra poſuit.Annibal,vt ſe inter Fabium & fauces à Fabianis obſeſſas incluſum ſenſit, vehementi metu, vt nũquam antea, perculſus eſt: nec enim vllum tranſitum videbat, ſed omnia prærupta & inacceſſa.Adhæc deſperabat Fabium iam firmo loco poſſe deiici.In hoc æſtu atque difficultate quinque millia captiuorum, nequid noui tumultus ab iis impendente periculo excitaretur, iugulauit. Deinde boum cornibus quotquot in caſtris erant, (magna copia fuit)faces alligari iuſſit,& proxima nocte accẽſis facibus,extinctóque omni per caſtra igne,ac indicto alto ſilentio,audaciſſimis iuuenibus negotium dat vt boues in deuia illa loca quæ inter Fabii caſtra & fauces erant,magna feſtinatione agant.Tum boues à ducibus extimulati,& ardentis ignis calore exuſti,per rupes ſaxáque magno impetu diſcurrere, & quũ deorſum deuoluerentur,rurſum maiore vi ſumma repetentes fere- 129
bantur.Romani qui vtrinque erant, in caſtris Annibalis cum tenebris ſilentium cõſpicati, cæterùm per montes diuerſis in locis varios ignes elucere, planè quid iſtud eſſet,noctu præſertim,intelligere non poterant.Fabius quidem dolum aliquem Annibalis eſſe ſuſpicabatur:ſed quia certi nihil habebat,ſuos munimẽtis tenuit,

ſatis credens nihil eſſe noctu tutum. At qui ad inſidendas fauces locati erãt, Annibalem rati (quod etiam ipſe peroptabat) per ſuperiores montium rupes erumpentem fugere, loco exceſſere, & quò micans flamma ducebat, tanquam ibi Annibalem laborantem oppreſſuri, decurrére. Vix inde pedem mouerant quum Annibal magno ſilentio, ſine lumine, vt facilius lateret, cum expeditiſſimis accurrit, occupatiſq; ac præſidio firmatis faucibus, tuba reliquo exercitui ſignificauit, ad cuius ſonitum viciſſim totis caſtris eſt acclamatum, ignîſque ſublatus. Tum Romanis fraus innotuit. Reliquum Annibalis agmen, & quiboues egerant, iam tutò ad fauces deuenere. Sic collectis copiis omnibus Annibal, atque præter ſpẽ & victoria & exercitu incolumi recepto, vlterius progreſſus, Gerionem Apuliæ vrbem frumẽto plenam peruenit. qua expugnata in maxima rerum copia tutò hybernabat. Fabius eodem ſemper animo ac voluntate è veſtigio ſubſequutus, decem ſtadia à Gerione caſtra locat, interpoſito inter vtriuſque caſtra Aufido amne. Exactis verò ſex menſibus (quod ſpatium eſt Dictaturæ apud Romanos) Coſſ. Seruilius & Attilius magiſtratũ denuo ingreſſi, ad exercitum venere, regreſſo Romam Fabio. Atque hac hyeme leuia quædam inter vtroſque certamina crebrò conſerebantur: quibus ſemper & ſuperior & glorioſior Romanus erat. Quapropter Annibal ad eum vſque diem, quoties ad ſuos ſcriberet, maximis
130 laudibus ſua facta ſolitus ornare, tum rebus cœpit diffidere, ac ſupplementum pecuniáſque petere. Sed inimici, qui ſemper eius cœpta reprehenderant, tum maximè ſe non intelligere fingebant, quum victores non petere, ſed vltro pecunias patriæ mittere conſueuiſſent, ecquid Annibal tot victoriis ſuperbus poſtularet. Quorũ verbis commoti Carthaginienſes nec milites nec pecunias miſere. Quod deplorans Annibal, miſſis ad Aſdru-

balem fratrem in Hiſpaniam literis mandat vt ineunte æſtate cum quammaxima poſſet militum & auri copia in Italiam irrumperet,eiuſque partem vlteriorem depopularetur, vt dum tota vreretur, Romani ancipiti bello opprimerentur. Atque hoc in ſtatu erant res Annibalis. Flaminii & Centenii clade Patres grauiter offenſi,& tot ſimul ac inſperatis malis exerceri cōtra dignitatē ſuam eſſe rati, denique in ſolo ac ſedibus ſuis bellum ferre non valentes: nouo delectu habito,cum quatuor legiones ex vrbe non ſine ſtomacho,tum ſociorum vndique magnam vim in Apuliam coegerunt. Adhæc Conſules duos crearunt, alterum bellicis laudibus ſplendentem L.Æmylium,qui cum Illyricis bellarat: alterum ex populari factione,Terentium Varronem,ingentibus promiſſis de more plebis animos demulcentem. Quos quū paludatos ad bellum emitterent, orarunt vt quamprimum marte confligerent, nec diutius trahendo bellū, ciuitatem tot militiis,tributis,fame exhauriri, neue regionem perignauiam vri paterentur. Conſules,accepto qui in Apulia erat exercitu(erat is in vniuerſum peditum L X X. M. equitum VI. M.) in Cannis Apuliæ vico Punicis caſtris caſtra oppoſuerunt. Annibal cum ſemper pugnæ auidus otiique impatiens,tum eo tempore maxime certamen non detrectabat, vrgente inopia,metuque ne mercede conductus miles, quia ſtipendia non perſoluebantur, aut transfugeret, aut frumentādi gratia per agros diſſiparetur. Itaque hoſtes aſſiduè laceſſebat. Conſulum erant diuerſæ diſcordeſque ſentētiæ: Æmylii,mora & patientia conficiēdum Annibalem, 131
quem raptis in diem commeatibus viuentem,non poſſe diu reſiſtere conſtabat: cum tot victoriis, tot prœliis exercitato duce atque exercitu non dimicandum: Terētii(qui popularis erat, & populi mandata ſubinde commemorabat) quamprimum marte decernendum. At-

que illi, præter vnum Seruilium ſuperioris anni Cõſulem, aſſentiebatur nemo: huic omnes & Senatores, & qui ex equeſtri ordine munere aliquo in caſtris fungebã tur. Dum Romani ſic perdurant, Annibal frumentandi aut lignandi gratia nonnullos ex iis egreſſos adortus, primò ſe victum eſſe, deinde circa extremam noctis vigiliam motis caſtris, veluti patriam repeteret, fugere ſimulauit. Quod intuitus Varro, tanquam fugientem inſecϯaturus aciem eduxit, vetante ac reclamante maximè Æmylio. Qui vbi ſe ſéſit nihil proficere, ſolus, vt Romanis mos eſt, ad captanda auſpicia ſe contulit: & quia pulli non addixerant, obnuntiari Varroni iam ſigna efferenti iuſſit. Ceſſit ille quidem religioni, ſed in caſtra reuerſus, coram cuncto exercitu capillos vellebat, & inuidentia collegæ extortam ſibi è manibus victoriã clamitabat, aſſentiente conquerentéque reliqua turba. Annibal vbi fraudem ſuam videt parum proceſſiſſe, protinus in caſtra rediit, & ſimulatam fugam detexit. Nec tamen iſta omnia Varronem mouere potuerunt vt deinceps Annibalem ſuſpectum haberet: quin potius in armis prætorium ingreſſus, ante ora Senatorum & Centurionum & Tribunorũ militum grauiter eſt in Æmyliũ inuectus qui prætenta auſpiciorum religioniſque calũnia, certiſſima victoria vrbem orbaſſet: ſiue ignauia & mollitie pugnam extimeſceret, ſiue ſuæ gloriæ propter æmulationem inuideret. Hæc irato animo vociferãtem milites tabernaculum circunſtantes æquis auribus audiebant, & probris Æmyliũ lacerabãt: qui nihilominus nõ deſtitit (etſi fruſtra) inter ſuos multa vtilia præcipere. Quum verò omnes (vno Seruilio excepto) in Varronis ſententiam pedibus iuiſſent, & ipſe aſſentiri coactus, poſtero die, quo penes eum ſumma erat imperii (ceſſerat
132 enim Varro) ad pugnã copias inſtruebat. Annibal id ſenſit: ſed eo die, quia nõdum ſatis inſtructus erat, in aciem

non venit. Postridie duces vtrinque in campum descẽderũt: Romani triplici acie, quarum vnaquæque sic instructa erat vt pedites medium, latera leuis armaturæ equitatusque cingeret: duces ipsi, mediam pugnam Æmylius, cornu sinistrum Seruilius, Varro dextrum tenebat: habebántque singuli circum se mille delectos equites, qui laborantibus, vbi opus esset, subsidio venirent. Sic instructi erant Romani. Annibal non nescius ventũ quendam procellosum (Vulturnum vocant) circa meridiem surgentem, regionem illam perflare, ante omnia, loca occupauit in quibus à tergo ventum esset habiturus. Deinde in monte quodam arboribus vestito, & crebris conuallibus disrupto equites aliquot cum expeditis militibus in insidiis locat: quibus edixerat vt conserto prælio ventóque exorto hostes à tergo adorirentur. Adhæc quingentis Celtiberis præter longos gladios, quibus accincti erant, etiam sicas sub loricis occultas ferre, ac, donec dato signo eorum opera vti vellet, quietos expectare iussit. Iam verò copiis trifariam diuisis, & equitatu quam extentissimè in cornibus locato ad hostem circunueniendum, quum dextro cornu Magonem fratrem, sinistro Annonem ex fratre nepotem præfecisset, mediam aciem ipse tenuit, vt Æmylio se opponeret: cuius in re militari virtus summa habebatur. Bis mille selectos equites, præter alios mille quibus præerat Maharbal, discurrere, & ad omnem casum intentos laborantibus subuenire iussit. Atque hæc agendo, quo maturius ventus oriretur, ad horam secũdam prælium distulit. Postquam satis instructa sunt omnia, duces vtrinque ad cohortandos milites progressi: Romani suos, vt parentum, liberorum, vxorum & cladis acceptæ memores, scirent se hoc prælio pro salute dimicaturos: Annibal contrà, tot egregia facinora, tot victorias de his hostibus relatas commemorando, turpissimum esse dice-

133 bat à toties victis superari. Signo tuba dato, & clamore à peditibus sublato, leuibus primùm armis pugna commissa est, inde legiones prælium ineũt. Tum magna strages erat, labórque ingens, quum vtrinque animosè dimicaretur. Interea Annibal equitibus dat signũ vt hostiũ cornua circũdarent: quibus Romani equites, tametsi inferiores numeró, tamẽ promotis ordinibus & quamlongissimè exporrectis, ingentibus animis pugnando se obiiciunt: præsertim ii qui in sinistro cornu ad mare erant. Quapropter Annibal & Maharbal, assumptis quos circa se habebant equitibus, magno impetu immanique ac barbarico vlulatu in Romanos inuecti sunt, tànquam eos perculsuri ac impressione violenta euersuri. Sed Romani hunc impetum fortiter sustinẽtes, nec territi, nec vestigio moti sunt. Annibal vbi videt hunc suum conatum frustra cecidisse, quingentis illis Numidis signum sustulit: qui mox extra aciem egressi ad Romanos trãsibant, parmásque, ceu transfugæ, & iacula & gladios manifestos tradebant. Collaudatos Seruilius, armis propere ademptis, in solis loricis (vt credebat) à tergo considere iussit, vt qui in conspectu hostium transfugas in vincula coniici non esse honestum arbitraretur: deinde quos solis loricis accinctos videbat, nihil sibi ab iis metuebat. denique tum temporis conserto ex omnibus partibus prælio parum tempestiuum id videbatur. Iam aliquot etiam Aphrorum cohortes simulata fuga magno clamore versus mõtes discurrere, vt hoc signo moniti (nam ita conuenerat) qui in anfractibus vallium latebant, in insequentes conuerterentur. Igitur vndique & leuis armatura & equitatus ex insidiis consurgunt, & eodem tempore vehemens & obscurus ventus coortus, multo puluere in ora Romanorum voluendo prospectum adimebat. Cuius aduerso flatu quemadmodum Romanorum tela repercussa hebescebant, sic

hoſtiū adiuta & certius & validius impellebātur. Ea quū 134
Romani declinare nō poſſent, inter ſéque colliderētur,
tum acies perturbari cœpit. ac Celtiberi illi quingenti,
rei agendæ occaſionem tenentes, eductis è ſinibus ſicis
primos illos quorum à tergo erant cædunt: deinde ar-
reptis eorum gladiis, ſcutis & pilis, liberius in totam a-
ciem impetum faciunt, ſtragémque ingentem, vt qui
ponè omnes eſſent, ediderunt. Romani inſtantibus ho-
ſtibus, inſidiiſque circumiti, quū paſſim à Numidis ſe-
cum permixtis trucidarentur, nec conuerti in eos vr-
gens à fronte Pœnus permitteret: ſimilitudo etiam ar-
morum (nam Romana ſcuta habentes vix à ſuis pote-
rāt dignoſcere) falleret: multiplici ancipitique periculo
diſtrahebantur. Sed in tantis malis puluis vento excita-
tus maximè Romanos lædebat. Nam ne intelligere qui-
dem ſuas clades poterant, ſed (vt in pauore ac tumultu
vſu uenire ſolet) omnia multo grauiora, inſidias maio-
res, quingentos illos longè plures eſſe animis conci-
piebāt: donec tandem, quia caſtra iam vndique & equi-
tibus & transfugis circundata credebant, effuſè fuga fie-
ri cœpta eſt, primùm à dextro cornu, authore fugæ Var
rone Coſ. deinde à ſiniſtro: cuius dux Seruilius quum ad
Æmylium accurriſſet, & circū vtrūque fortiſſimi qui-
que equites & pedites ad decem millia conueniſſent, im
peratores móxque cæteri equites ad pedes deſcēdentes,
quanuis vndique hoſtibus circunfuſi eſſent, tamen con
tra equitatum Annibalis pedeſtre prælium reſtituunt.
Ibi à viris bellandi peritis, faciente animos rerum de-
ſperatione, vbi ſe in hoſtes magno impetu atque ira in-
tuliſſent, egregia facinora edi vidiſſes. Verùm ex omni-
bus partibus cædebātur, & iam Annibal eos incluſerat,
ac ſuos animabat, nunc hortando, vt victoriæ reliquias
perſequerentur, nunc grauioribus probris increpando,
quòd fuſo & profligato exercitu paucos debellare non 135

possent. Romani, quandiu Æmylius Seruiliúsque stete-
runt, tandiu, multis illatis acceptísque vulneribus, in a-
cie permanserunt: sed postquam duces ceciderunt, tum
per medios hostes via vi facta, strenuè admodum diuer-
si in diuersa loca euaserūt, circiter quindecim millia, in
bina castra, quò iam priores aufugerant: atque hos An-
nibal confestim præsidio interclusit. Duo millia, quæ in
vicum ipsum Cannas perfugerant, Annibali se tradide-
runt: pauci Canusium incolumes peruenerunt: reliqui
per syluas dissipati. Hæc finis fuit pugnæ Cannensis, cœ
ptæ quidem illius ante horam secundam, & ad duas no-
ctis horas protractæ: nūc quoque sua clade percelebris,
vt qua paucis horis cæsa hominum fuere quinquaginta
millia: capti viui quamplurimi Senatorii ordinis, multi
interfecti: cum iis Cēturiones omnes ac primipili, triū
imperatorum duo fortiores. Siquidem tertius ignauior,
& calamitatis huius auctor, sub initium fugæ prælio ex-
cesserat. Romani ergo iam biennium cum Annibale
bellantes, tum suorum tum sociorum ducenta millia a-
miserant. Hac præclara & singulari victoria potitus An-
nibal, vno die quatuor rebus egregiè & prudenter per-
actis: vento hostibus obiecto, transfugarum ficta defe-
ctione, fugæ simulatione, insidiarū per valles colloca-
tione, extemplo ad spectandam mortuorum in acie stra
gem accessit. inter quos quum fortissimum quenque ex
amicis cæsum videret, ingemuisse dixisséque fertur al-
tera pari victoria haud sibi esse opus. Quod idē superio-
re seculo fama est dixisse Pyrrhum regē Epiri, qui haud
dissimili clade Romanos vicerat. Sed qui in maiora ca-
stra confugerant, duce P. Sempronio per Annibalis vi- 13
giles somno & prælio fatigatos eruptione facta, Can-
136 nusium circiter hominum decem millia euaserunt. At
quinque millia, quæ in minoribus castris restiterant, po
stero die ab Annibale capta sunt. Terentius Cos. exerci-

tus

tus reliquiis collectis, quũ mœstos deiectósque animos pro viribus cõfirmasset, præfecto castris Scipione Trib. militũ, Romã cõtẽdit. Huius cladis nũtio in vrbẽ allato, ingẽs multitudo promiscuè portis effusa est, suos lamẽtantiũ, ac nominatim cõpellantiũ, séque tanquã è vestigio ab hoste capiẽdos deplorãtiũ. Matres cũ liberis per tẽpla discurrẽtes deos orare vt tandẽ aliquãdo tot malis modũ aliquẽ statuerẽt, Magistratus etiã, si qua diuina ira ciuitatẽ premeret, superioribus cladibus satiatã, sacrificiis supplicationibúsque conari placare. Senatus Q. Fab. (qui & ipse harũ rerũ historiã cõscripsit) Delphos ad oraculũ misit sciscitaturum de præsenti rerũ statu. Octo millia iuuenũ ex seruitiis, dominis vltro donãtibus, manumisit: scuta arcúsque passim in vrbe parari iussit: ex sociis aliquẽ numerũ cõflauit. Claudiũ Marcellũ, qui in Siciliã erat nauigaturus, ad bellũ contra Annibalẽ mutata sententia mittendũ censuit. Is classem cũ Furio collega partitus, & parte in Siciliã missa, reliquas copias seruorũ ciuiũ & sociorũ, ad decẽ peditũ, equitũ duo millia, Theanũ traduxit, vt quid molíretur Annibal exploraret. Cæterùm Annibal captiuis Romã legatos mittẽdi, (si fortè essent ex ciuibus qui suo precio vellent redimere) copiã fecerat: & tres omniũ suffragio delectos legatos, quorũ princeps Cn. Sempronius erat, nullo alio accepto fidei pignore quàm quòd iurarãt se redituros, dimiserat. Captiuorũ itaque propinqui forũ circũstantes, suum quisque necessariũ priuata pecunia se redẽpturos pollicebãtur, sibique id à Senatu permitti orabant, collachrymãte & cõprobante plebe. Senatorũ alii post tot cla-
137 des non esse remp. tot virorũ iactura affligendã censebãt, nec ingenuis seruos præferẽdos. alii, hac indulgẽtia non assuefaciẽdos ad fugã, sed potius docẽdos in prælio aut vincere aut mori: nec verò fas esse, eũ qui fugerit, vllã suorũ humanitatẽ aut misericordiã experiri. Multis

exemplis vltro citróque productis, Senatus demum vetuit à propinquis captiuos redimi: quòd exiſtimaret, tot reſtantibus periculis, præſentem clementiam in poſterum damno futuram: inhumanitatem autem & ſeueritatem, quanuis triſtem, cum deinceps fructuoſam, tum eo ipſo tempore Annibali, tam audaci conſilio, formidabilem. Quapropter Sempronius aliíque captiui duo ad hoſtem redicre. Iratus Annibal captiuorum alios vendi, alios necari iubebat: eorúmque corporibus in flumine ponte facto exercitum traiiciebat. Quos verò vel ex Senatu vel nobilitate in caſtris habuit, parentes liberis, fratres fratribus componens, ferro decernere ſpectantibus Aphris cogebat: denique nullum ſuperbæ crudelitatis genus omittebat. Inde ad ſociorum populi Romani agros deuaſtandos arma conuertit, atque ad Peteliam machinas admouit. Petelini tametſi numero pauci, tamē animis reſiſtebant: & adiuuantibus mulieribus (quæ audacia viris haudquaquam cedebant) crebrò erumpentes & ſtrenuè pugnantes opera illius incendebant. Sed cum ſingulis præliis carpebantur, tum fame abſumebantur. quod vbi Annibal comperit, vrbem circunuallauit, & Annonem obſidioni præfecit. Oppidani, ingraueſcentibus malis inutilem bello turbam intra murū & foſſam excluſerunt: eámque, dum ab Annone trucidaretur, æquis oculis ceu meliori conditione morientem ſpectabant. Verùm eodem fato haud multo pòſt & cæteri, qū premente extrema inopia in hoſtes incurſionem feciſ-
ſent, multáque præclara facinora edidiſſent, quia defi- 138
cientibus inedia corporibus in vrbem regredi non valebant, ab Aphris penitus cæſi ſunt: potitúſque eſt Anno oppido, paucis tamē, quibus ad fugam ſatis virium fuit, elapſis: quos Romani profligato hoc bello, tum ob ſingularem erga ſe fidem ac beneuolentiam, tum incredibilem virtutem, ſtudioſè conquiſitos (fuere autem circi-

ter octingenti)patriæ restituere.Sed quũ Celtiberi equi-
tes qui inter Annibalis auxilia erant,strenuèdimicarent,
Romani imperatores, qui in Hispaniis rem gerebant, à
Celtiberorum ciuitatibus sibi subditis alios pares equi-
tes impetrarunt, atque in Italiam vt illis opponerentur
miserunt. Hi propter castrorum vicinitatem nacti libe-
ram colloquiorum facultatem,suum quisque munici-
pem aut popularem ad se pelliciebãt.Quo factũ vt,mul-
tis partim ad Romanos transfugientibus, partim dila-
bentibus, dum Annibal nihil iam sibi tutum existimat,
eósque suspectos habet,vicissim illis suspectus,res Puni
ca labasceret. Porro Arpis Apuliæ oppido,cuius condi-
tor fertur Argiuus Diomedes,Dasius quidam ab ipso(vt
aiebant) Diomede oriundus, cæterũ lubrica fide,& tam
claro sanguine haudquaquam dignus,post insignẽ illam
apud Cannas cladem,à Romanis ad Annibalem discesse
rat,patriámque ad defectionẽ secum traxerat.Tunc quia
res Annibali minus secundæ erant, clam omnibus Ro-
mam venit, atque in Senatũ introductus dixit se posse pa
triam,quo peccatum corrigeret, in Romanorum potẽ-
statem reducere . At eum parũ abfuit quin Romani ne-
carent: vrbe certè quamprimum eiecerunt.Quare tum
eos,tum Annibalem metuẽs, errabundus per regionem
discurrebat.Eius vxorem Annibal liberósque viuos exus
sit. Arpos prodentibus aliis cepit Fabius Maximus no-
ctu, interfectisque quos inuenit Pœnis,præsidium impo
139 suit.Tarentum autem,quod Romano præsidio eodẽ tem
pore seruabatur,hoc pacto Cononeus prodidit,Venan-
di hic studio deditus,quia ferme aliquid captum dona-
re Iunio præfecto præsidii solitus erat, ei perfamiliaris
esse cœperat. Verũ,vt in regione ab hostili metu haud-
quaquam libera,nocte sibi ad prædam vberiorem facien
dam opus esse dicebat. Quamobrem vbi iam eò consue-
tudinis res adducta est vt quouis noctis tempore portæ

ei paterent,cum Annibale congressus, acceptisque ab eo
militibus,(quorum alios sylua haud procul oppido oc-
culuerat, alios non longo interuallo se subsequi iusse-
rat, partē secum duxerat, superquidē, habitu venatorū,
sed subter, loricis gladiisque accinctos)noctu ad portas
venit,præeuntibus qui ingentem aprum perticæ imposi
tum portarent. Patefactis de more portis, qui ingressi
sunt,statim vigiles obtruncant: qui sequebantur, accur-
rentes vnà irruerunt,& socios ex syluis excitos excepe-
runt.Tum Annibalem portis refractis intromiserūt. Il-
le ingressus, totáque vrbe facilè potitus,conciliatis Ta-
rentinis, ad oppugnandam arcem quam Romani tene-
bant animum adiecit.Hoc pacto proditum est à Cono-
neo Tarentum. At Romanorum quinque millia erant
in arce,& Tarentinorū nonnulli eos secuti. Adhæc præ-
fectus præsidii quod Metaponti erat,dimidiam partem
militum adduxerat, telorúmque ac machinationum
omnis generis magnam multitudinem, quibus à muro
Annibalem facilè repelleret, qui & ipse iis rebus abun-
dabat. Iámque admotis turribus,catapultis& testudini-
bus,quædam quatiebat,& falcibus funibus suspēsis pin
nas euertebat, murúmque nudabat. Romani saxis de-
missis machinas confringebant, & laqueis falces auelle
bant, crebrisque & repentinis excursionibus in hostem
erumpentes,nunquam nisi aliqua trepidatione aut stra-
ge edita redibant.Et quum sereno aliquo die vētus coor
tus esset,Romani eam occasionē intuiti,dū pars è muro 141
faces ardentes,stupam & picem in Pœnorum opera de-
mitterēt,alii egressi ignem subiiciebant.Annibal despe
rata expugnatione,nisi qua parte mare spectabat,quia id
fieri non poterat,vrbem circūuallauit.Deinde obsidio-
nis cura Annoni tradita in Apuliam se recepit.Sunt au-
tem portus Tarētinorum ad Boream versi, siquis è mari

per isthmum intrò nauiget. At isthmum pontibus euitabant: quos quũ Romani tenerent, facilè mari aduectum frumentum sibi habebant, Tarentinis ne importaretur impediebant. Quapropter tandiu inopia laborarunt Tarentini, quoad reuersus Annibal monuit vt perfossa via publica, quæ à portu ad alterum mare versus austrum ferebat, alium isthmũ facerent. Quo facto, celeriter rem frumentariam expediebant, & Romanorum præsidio nihil classis habenti suis triremibus plurimum incommodabant, præsertim tranquillo mari: & quicquid annonæ ad Romanos aduehebatur, intercipiebãt. Romanis ergo penuria rerum necessariarum conflictantibus, Thurini noctu naues frumento onustas comitantibus aliquot triremibus summittebant. Quod Tarentini & qui vnà erant Pœni vbi resciuerunt, structis insidiis omnes cum ipsis viris & frumento ceperunt. Ventitãtes autem pro captiuis redimendis identidem legatos Tarentini ad Annibalem pellexerunt. Annibal captos omnes Thurinos dimisit. Hi domum reuersi inuitis suis portas Annoni aperuerunt. Sic factum vt dum Thurini Tarentum Romanis seruare conantur, ipsimet imprudẽtes in Pœnorum potestatem deuenerint. Præsidium quod in vrbe erat, Brundusium clàm se recepit. Metapõtini, post abductam à præfecto præsidii partem Tarentum, paucis qui relicti erãt interfectis, Annibali se dediderũt. Quorum exemplum metu potius quàm voluntate secuta est
542 & Heraclea, inter Metapontum & Tarentum sita. Et iam Annibalis res gloriosiores erant. Anno proximo Lucanos quosdã, qui à Romanis desciuerãt, Sempronius Gracchus Procos. bello premebat. Flauius autẽ Lucanus, eius partis quæ cum Romanis adhuc stabat, amicus & hospes Gracchi, & eiusdem proditor, persuasit ei vt in quendam locum veniret, vbi à Lucanorum Prætoribus, qui

pœnitentia ducti in amicitiam Romanorum redire cupiebāt, fidem acciperet vicissimque daret. Ille nihil doli subesse ratus, cū triginta equitib⁹ sequebatur. Sed quum vndique Numidæ hostes consurrexissent, Flauius se illis adiunxit. Gracchus detectis insidiis ex equo cum aliis equitibus desiliit, & strenuè dimicans cum suis omnibus cæsus est: tres duntaxat Annibal capere potuit, omni prius studio annisus Procos. Romanum viuū capere. Quem etsi insidiis fœdè circunuentum, tamen ob eximiam in vltima morte virtutem admiratus, funere decorauit, ossibus Romam remissis. Inde in Apulia æstatem traduxit, vndique cōuehendo frumēto intentus. Quum verò Romani Capuam aggredi constituissent, Anno ab Annibale præmissus cum mille peditibus & totidē equitibus, vrbem insciente hoste introiit. Orta luce Romani vt plures in mœnibus sunt conspicati, re cognita, statim ab vrbe execitum remouerunt, & ad Capuæ totiúsque Campaniæ frumenta demetenda dimiserunt. Quod ægrè ferentibus Campanis, Annibal satis in Apulia sibi esse frumenti dixit: proinde quoties vellēt eo mitterent & acciperent. Illi non iumēta modò & viros, sed & vxores & liberos ad frumentum comportandum emiserunt, nihil periculi in itinere metuentes, Annibale ex Apulia in Campaniam regresso, & ad Alorem fluuium castra habente: haud procul Beneuētanis, quos solos, quia fidi Romanis remanserant, timebant. Tunc igitur præsente Annibale cunctos despiciebant. Verùm ac- 14
cidit vt circa id temporis Annibal ab Annone accitus in Lucanos transiret, impedimētorum maiori parte in castris ad Beneuētum cum modico præsidio relictis: Romanorum autem imperatorum (duo enim erant, Claudius & Annius) alter ea de re certior factus, in Campanos frumentum conuehētes impetu facto, multos (quum inermis & incondita turba esset) cæderet, & frumētum Be

neuētanis donaret: tum Annibalis castris prædáque ibi
relicta potiretur. Quinetiā ambo duces Romani iuncti,
morante in Lucania Annibale, primùm Capuam vallo
muróque cinxerunt: deinde extrinsecus ducto altero, in
ter vtrunque castra fecerunt: propugnacula autem par
tim ad vrbem obuersa, partim extrorsus, si hostes adori-
rentur, opposita erant. Castrorum facies instar amplissi-
mi oppidi exiguam vrbem in se complectētis, spatium
à vallo ad vrbem vsque duorum stadiorum fuit. In quo
ceu theatro muris circundato cum in dies noua prælia
fiebant (prouocantibus sese ad singulare certamen vtrin-
que fortissimis viris) tum Claudii Aselli Romani memo
rabile vnum fuit. Prouocarat hunc Taureas Campanus,
& pugna commissa victus, versus vrbem cessim ibat.
Claudius ad mœnia vsque refugiētem insequutus, quum
equum è via reflectere non posset, patenti hostium por
tæ inuectus, toto oppido percurso per alteram incolu-
mis ad suos euasit, ēdito proiectæ audaciæ facinore. An-
nibal, infecto negotio cuius causa in Lucanos accitus
fuerat, ad Capuam reuersus, tantæ vrbis (quam ad tot tan
tásque res opportunam Romanis fuisse norat) defensio-
ne omni studio curáque suscepta, Romanorū munimen
143 ta adortus est. Et quum nulla ratione efficere posset vt
in vrbem aut commeatum aut supplemētum induceret,
(nam ne ex oppido quidem, propter tam arctam obsi-
dionem, ad colloquia egredi poterat quisquam) cum om
ni exercitu Romam contendit. Mouebat eum quòd ibi
famem esse intellexerat, & se vel ab oppugnanda Capua
Romanos imperatores abstracturum, vel aliquid maius
quàm Capuam liberasse, facturū sperabat. Quamobrem
continuato itinere multos hostilésque populos emēsus,
(quorum alii, quia vires deerant, transitu arcere non po-
tuerant, alii ne prælii quidem aleam subierant) triginta
duo ab vrbe stadia ad Anienem fluuiū castra admouet.

Nunquam tantum pauoris tumultúsque Romæ fuit. Deerant idoneæ copiæ (quas habebant, in Campania erant) & insperantibus ingens imminebat exercitus, dúxque & virtute & fœlicitate inuictus. Tamē (quæ tū erat copia) qui ferre arma poterāt, portas custodiebāt. Senes in muros insiliebant, mulieres cum pueris saxa teláque comportabāt: ex agris magna turba in vrbem cōfluebat. Iam promiscuo vlulatu, planctibus, precibus, mutuis cohortationibus omnia perstrepere. Nonnulli vrbem egressi, pontem qui super Anienem erat resciderunt. Romani quondam in Æquis oppidulū quoddam munierant, Albámque metropolis suæ nomine appellarant. Lapsu temporis, siue producto vel corrupto vocabulo, siue vt ab Albanis distinguerētur, Albēses vocitati. Hi ad duo millia quum ad participādum periculum Romam accurrissent, statim armati, portarūque custodiæ præpositi sunt. Tantam fidem ac beneuolētiam tunc temporis vna hæc ex tam multis colonia erga Romanos præstitit, Platæensium exemplum imitatá, qui numero non multi pugna Marathonia Atheniēsib⁹ sese adiunxerūt, vt cōmunibus viribus præsens periculum propulsarent. Romanorum imperatorum Annius ad Capuam remansit, haud dubia 144
spe expugnandæ vrbis: alter Claudius Flaccus diuerso itinere incredibili celeritate Annibali castra in altera Anienis ripa opposuit. Qui quum intercisum pontem & Claudium exaduorsum sedentem offendisset, fontes fluuii circuire constituit: quoiter faciēte & Claudius ipse castra promouebat. Hic Annibal more suo insidias admiscuit. aliquot equites reliquit: qui, vbi exercitus recessisset, traiecto flumine agrum Romanū depopulati, quum ad vrbem vsque terrorem attulissent, vt iussi erāt, ad Annibalem redierunt. Ipse lustratis fontibus fertur noctu cum tribus speculatoribus, vrbis quæ non procul distabat situm clàm esse contemplatus, solitudinémque

& trepidationem intra mœnia intellexisse: Capuam tamē rediisse, siue deus aliquis vt aliàs, sic id tēporis auerterit, siue vrbis virtutem fortunámque pertimuerit, siue (quod amicis ad eam oppugnandam hortantibus dicere solebat) debellare noluerit, metuēs ne finito bello à Carthaginiensibus imperio priuaretur. Nam quòd ad Claudianum exercitum attinet, non erat vllo modo cum Annibalis copiis conferendus. Claudius reuertentem Annibalem vestigiis sequens, satis agere se putabat si & eum pabulatione prohiberet, & sibi nequid per insidias dāni accideret caueret. Sed Annibal nocte illuni explorato loco quo Claudius exercitū traduxerat, nullum quidem ipse murum extruxit, sed fossa ducta interuallisque aliquot pro portis relictis, denique aggere, qui muri vice esset, opposito, sese continuit, atque in imminentē tumulum natura munitum missis equitibus, mandat vt quieti loco se non mouerent, quoad Romani locum vacuum rati occupauissent. Adhæc Indos conscensis elephantis in Claudiana castra irrumpere, quocūque modo per interualla aggerésque possent, iubet. Hos exiguo interuallo subsequi iussi tubicines ac buccinatores aliquot, edi 145 ctūque vt ingressi quammaximum strepitum ederent, quo plures esse viderentur. Vnà immissi nonnulli Latinæ linguæ gnari, qui Claudii imperatoris verbis iuberēt desertis castris in proximum collem euadere. Atque hæ Annibalis fraudes ab initio satis ex sententia succedebant. Nam elephanti protritis stationibus irruperant, & tubicines eos secuti (quum strepitus ad aures surgentium è lecto Romanorū obscura nocte ex insperato accidisset) plurimum terroris præbuerant. Præterea audito Latinis verbis de occupando proximo tumulo imperio, iam sese ad fugam accingebant. Verùm Claudius, cui omnia Annibalis cōsilia ceu insidiis dolisque plena suspecta erant, tunc vel suapte prudētia vel diuino motus

impulſu, vel ab aliquo captiuo rei veritatem edoctus, celeriter Tribunos militũ per vias in tumulum ferentes diſponit, qui eò ruentes arcerent, docerentque hoc edictum non iuſſu Romani imperatoris ſed Annibalis frau de proclamatum. Deinde ipſemet vallo impoſitis ſta tionibus validis ad repellẽdos, ſiqui fierent, impetus, per caſtra diſcurrebat, clamitans nihil eſſe periculi, paucos cum elephantis irrupiſſe. quorum tãdem (accenſis eiuſdem iuſſu facibus, ignibuſque ſublatis) quum paucitas apparuiſſet, verſo in iram metu Romani eos omnes deſpectos, facilè (vt pote leuiter armatos) ceciderũt. Elephãti, quia receptui ſpatium deerat, per tabernacula & præſepia impliciti agitabãtur, & (nullis telis propter anguſtias loci corporũq; vaſtitatẽ irritis, paſſim ſauciabãtur)
146 donec dolore tandẽ accenſi, excuſſis & proculcatis ſeſſoribus (nam in hoſtes irruendi nulla erat facultas) cum ira horrendiſque barritibus è caſtris erupere. Hoc pacto Claudius Flaccus magna conſtantia & ſolertia improuiſis occurrendo inſidiis, & Annibalem ſuperauit, & eius artes perhorreſcentem exercitum ſeruauit. Annibal irrito incepto in Lucaniam traductis copiis hybernabat, virque ferus, nullis aſſuetus deliciis, luxui amorique operam dabat. Qua ex re ſenſim nec multo pòſt magnam induxit rebus ſuis omnibus mutationem. Claudius Capuam ad collegã redierat, & iam ambo in vrbis oppugnationem acriter incumbebãt, eámque quieſcente Annibale hyeme expugnare conabantur. Campani, rerum omnium penuria (quia nihil aliunde aduehebatur) afflicti, ſeſe Romanis imperatoribus dediderũt. Dedidere ſe & Carthaginienſis præſidii præfecti Anno & Boſtar cum ſuis militib⁹. Romani, impoſito vrbi præſidio, trãſfugis, quotquot inuenti ſunt, manus amputarunt. Aphrorum nobiles Romam tranſmiſſi: reliqui venundati. Inde in ipſos Campanos conuerſi, auctores defectionis extre-

mo supplicio,cæteros agro modò mulctarũt.Est autem Campanus ager,quia campestris,frugũ ferax. Capua Romanis restituta magnum ad res in Italia gerendas momentum Carthaginiẽsibus ablatũ erat.In Brutiis(parsest Italiæ)vir ex Tisia ciuitate venari &de præda semper aliquid afferre ad præfectum præsidii Punici quod in vrbe erat,solitus,ita ad eius amicitiã adrepserat vt propè imperii cõsors esset. Hic iniurias militũ in patriam iniquo animo ferens,pactus cum Romano imperatore, data fide & accepta,nõnullos in dies veluti captiuos in arcem intromittebat,armáque eorũ ceu spoliainferebat.Quos numero auctos vbi vinculis laxasset,atque armasset,Punico præsidio oppresso Romanum induxit. Sed breui 147
pòst tempore,prætereunte illac Annibale, territi præsidiarii Rhegium confugerunt, Tisiatæ Annibali se tradiderunt,qui defectionis principibus crematis, aliud præsidium vrbi imposuit.Salatiæ inApulia(quæ tum sub Punico imperio erat) duo fuere genere quidem, diuitiis & potentia facilè principes, sed inter se admodum discordes: Dasius Punicam, Blatius rem Romanam fouebat. Quandiu ergo Annibali res secundæ erant,Blatius quieuit: at postquam recuperato maiori ex parte imperio Romana potentia reuixit, Blatius inimicum hortari est ausus vt pro salute patriæ tantùm secum consentiret,ne, si Romani eam vi expugnarent, tãdem insanabili malo implicaretur. Dasius simulãs se assentiri,rem aperit Annibali. Disceptator ac iudex erat Annibal,Dasius accusator. Blatius reus hoc vnũ vt se defẽderet dicere, sibi propter priuatas inimicitias falsa crimina imponi.Et certèquũ præuidisset accusatorihosti propter simultatẽ fidẽ nullã fore,liberius cum eo hac de re sermonẽ cõtulerat. Annibal rem non contẽnendã,nec hosti nimiũ fidendũ ratus, vtrũque iussit secedere,tanquã per se cogniturus. Quum verò peranguistus exitus foret, Blatius Dasium

remotis arbitris sic cõpellauit, Nõ tu vir bone patriam seruabis? Dasius exclamãs è vestigio Annibali indicat. Tum Blatius quiritãs, Nũc nũc (inquit) nemo nõ credet me ab hoste astuto insidiis peti. Omni dubia suspicione, siqua antefuit, hic me dolus liberabit. Quis obsecro, nisi mentis inops, hæc voluisset inimico credere? Sed potuit primò fortasse decipi. At quis in iudicium addu-
148 ctus & causam dicens, factúmque pernegãs, pro tribunali, multis audientibus, præsente accusatore, qui rem póssit prodere, de integro eadem communicare cum eo sustinuisset, quem perfidum indicem esset expertus? Iam verò, vt fidelis amicus mihi fuisset, quid opis tamen mecum in patriæ salutem cõferre potuisset? Eccur ego eius auxilium implorassem qui nullius auxilii copiam habet? Hæc Blatius longè antè (vt arbitror) exitũ prospiciens, data opera in aurem Dasii insusurrarat, tum vt eius fidẽ in posterum auctoritatémque minueret, tum vt exinde Annibal animum induceret non credere vllum sibi verum crimen obiectum. Nec verò dimissus Blatius destitit aduersarium obtundere, quem veluti in omnibus rebus fide detracta non formidandum cõtemnebat. Itaque Dasius iterum simulauit se eius oratione moueri, atque ex eo peruelle totam desciscẽdi viam intelligere. Ille nihil cunctatus, Ego, inquit, in castra Romana (ostendebat autem illi remotissima) transcurram: indéque acceptas à Prætore, qui mihi est amicissimus, copias adducã. Tu hîc me operieris, & in vrbe custodiæ causa manebis. Sic locutus extemplo clam Dasio vrbe excessit, rectáque Romam non in illa castra contendit. vnde mox dato filio obside, acceptísque à Senatu mille equitibus, citato gradu rediit, iam euentum animo præcipiens. Dasius sequentibus diebus aduersarium non conspicatus, statim cõiecit eum iam sibi fidem haberem ad opus perficiẽdum abiisse. Sed dum arbitratur in illa lon

ginquiſſima profectum caſtra, lentè ac ſecurè ad Anni-
balem acceſſit, non dubitans quin redeundo facilè alte-
ri anteuerteret. Atque Annibalem affatus, Iam tibi, in-
quit, dum in vrbem hoſtiles turmas inducit, in ipſo fa-
cto oppreſſum Blatium tradam. Deinde re expoſita, ac-
ceptiſque aliquot ab Annibale militibus, in patriam ad-
uolat, nondum (vt ipſe deputabat) appropinquante Bla-
tio. At ille iamdiu cæſo Punico præſidio, quod exiguum
erat, vrbem occuparat, diligētérque cauerat nequis op- 149
pido egrederetur. Et reliquis portis obſtructis, ſolas
quæ reuertēti Daſio occurrebāt patere voluerat. Murus
etiā ea parte omni ſuſpicione vacabat, ſed interiora foſ-
ſis ſic dirupta & intercepta erant vt irrūpēdi nulla eſſet
facultas. Adueniēs Daſius vt apertas portas vidit, lætus,
& hoſtē anteueniſſe ratus, in vrbem ouans eſt ingreſſus.
Sed eum omnéſque qui vnà irruperant, incluſos, quum
in anguſtiis colliderentur, & propter foſſas nullus eſſet
receptus, Blatius facilè cecidit, paucis exceptis, qui mu-
ro delapſi euaſerunt. Sic Blatius Daſium ter inſidiis cir
cunuentum ad extremum ſuperauit. Cæterùm dum Ful-
uius Cos. Romanus Herdoneam obſidet, Annibal iuxta
eum neſcientem veſpere caſtra admouet, extinctis, vt
melius lateret, ignib⁹, ſilentióque totis caſtris indicto.
Sub lucem orta etiam nebula, equitatum præmittit ad la-
ceſſendos Romanos. Illi quidem cum trepidatione (vt
qui è lectis ſurgerēt) ſed fiducia pleni (quòd paucos hinc
illinc credebāt adueniſſe) hoſtem repellebant. Verùm
Annibal altera ex parte vrbem circūeundo, tum vt eam
contemplaretur, tum oppidanos ſpe repleret, tādem in
Romanos, ſiue quia viſus erat, ſiue caſu, incidit, eóſque
incluſit. Tum vtrinque petiti effuſè ruebant. Cæſa octo
millia cum Cos. Fuluio: reliqui in vallum quoddā quod
ante caſtra erat celeriter euaſerūt, fortitérque dimican-

runt. Poſthæc vt Romani Apulos, quia defecerant, depopulabātur, ſic Annibal Campanos, quòd omnes ad Romanos rediiſſent, præter ſolos Attellanos: quos (ne Brutiorum & Lucanorum & Apulorum bello vexarentur) Thuriū traduxit. Et Romani Nuceriæ exules Attellam migrare iuſſerunt, atque ſocios Annibalis infeſto exercitu aggreſſi Antoniam ceperūt, & Brutiorum agrum in-
150 curſionibus vaſtarunt. Eodem tempore terra marique Tarentum obſidebant, quod ſub Carthalone præfecto, præſidio Punico tenebatur, aſſumptis (quia pauci erant Pœni) in ſocietatem Brutiis: quorum præſidii præfectus mulierculā amabat, cuius frater in caſtris Romanis militabat. Hic per ſororē perpulit præfectū ad proditionem eius partis muri cuius cuſtodiæ præpoſitus erat. Sic Romani Tarentū receperūt, oppidū terra marique opportuniſſimum. Annibal ad Tarentū feſtinabat: ſed in itinere certior factus captum eſſe, grauiter dolens, Thurium ſe recepit, inde Venuſiam. quo in loco Claudius Marcellus, qui Siciliam deuicerat, tum quintùm Coſ. & T. Criſpinus caſtra habebāt, ſed prælio tamē abſtinebant. Forte fortuna autem Marcellus Numidas prædam agentes conſpicatus, ratúſque paucos eſſe, cum trecentis equitibus ſecurè in eos impetum fecit, virque ingenio ferox & in pericula præceps præibat. Sed quum vndique exciti Aphri in eum inueherentur, qui in extremo agmine erant Romani primi fugam arripuerunt: Marcellus, qui eos ſequi crederet, egregiè pugnabat, donec iaculo trāſfixus cecidit. Eius cadauere potitus Annibal poſtquam aduerſa vulnera vidit, vt militem, laudauit, ſed vt imperatorem, cauillatus eſt. Detracto annulo corpus magnificè cremauit, oſſáque ad filium remiſit in caſtra. Porro priuſquam mortis huius fama latius manaſſet, Salatinis vehementer infenſus, cum literis annulo Marcelli obſignatis Romanum trāſfugam Salatiam mittit, qui ſigni-

ficaret Marcelli exercitum aduētare: iubere vt ſibi portæ pateant. Ciues, paulo antè Criſpini literis acceptis (miſerat enim circa proximas ciuitates nūtios Marcelli annulo Annibalem potiri) nuntium, ne remanens ſua conſilia reſciſceret, polliciti ſe mādata facturos, remiſerūt. 151
Interea armis ſumptis per mœnia diſpoſiti, inſidias expectabāt: venientíque Annibali cum Numidis arma Romana habentibus, cataracta in altū ſubducta, portā aperiunt læti & gratulabūdi veluti Marcellū excipientes. Quúmque tot admiſiſſent quot ſe facilè poſſe opprimere confidebāt, cataracta deiecta intra vrbē incluſos omnes interfecerūt. Alios è muro miſſilibus abſterrebāt ac vulnerabāt. Annibal ad Salatiā ſecūdò ſua ſpe fruſtratus, abſceſſit. Dum hæc fiunt, Annibalis frater Aſdrubal exercitum, quem in Celtiberia mercede conſcripſerat, in Italiam traduxit, benignéque excipientibus Gallis, duobus menſibus Alpes, ab Annibale prius patefactas & ſex menſium ſpatio vix ſuperatas, emenſus, Hetruriam irruit, adducēs ſecum peditū XXXXVIII M. equitum VIII M. elephātos XV. Inde de aduētu ſuo literas ad fratrē miſit. Quas quū Romani intercepiſſent, & eius copiæ quantæ forent intellexiſſent, Coss. Salinator & Nero contractis in vnū omnibus viribus ad Senam illi occurrerunt. Ille, qui nondum pugnare conſtituerat, ſed quamprimum fratri ſe coniungere, noctu mouit caſtra, ac per loca paluſtria ripáſque fluminis vado carētis cum errore obiens, nō multum proceſſit. Sub primam lucem Romani palatos & vigiliis laboréque feſſos aſſecuti, plurimos cum Centurionibus acie inſtructa congreſſos & ipſum vnà Aſdrubalem fuderunt, multóſque viuos ceperunt: atque iis copiis deletis (quas ſi Annibal ſuis adiunxiſſet, inuictus videbatur) ingenti terrore Italiam liberarunt. Ac mihi quidem videtur deus Romanis hanc

152 Iisque hæc illi fuit, tum imperatorũ interitu, tum exercitus haud disparis strage. Accidit etiã vt vtrinque multos captiuos habuerint, alterique alterorum castris direptis luculenta præda potiti sint. Sic variãte fortuna Romani modò prosperas modò aduersas res experiebantur. Celtiberi, qui inter cædem effugerant, pars in patriam, alii ad Annibalem se contulerunt. Qui fratris & tanti exercitus ignoratione viarum præpropera cæli clade non mediocriter perculsus, amissis omnibus quæ totos quatuordecim annos in Italia cum Romanis bellum gerens immensis laboribus pepererat, in Brutios (ea gens sola in eius societate permanserat) secessit: ibique nouas Carthagine copias quietus expectabat. Miserant autem Carthaginiẽses centum nauibus onerariis frumẽtum, & supplementum & pecunias: quas quum mille triremes deducerent, ventúsque in Sardiniam detulisset, Sardiniæ Prætor longis nauibus adortus, viginti depressit, sexaginta cepit: reliquæ Carthaginem repetiere. Maior hinc in castris Annibalis omnium rerum penuria orta est, desperato præsertim Carthaginiensi subsidio. Ad hæc mala & illud accedere, quòd Mago in Galliam Liguriámque ad conducendum mercede militem dimissus, auxilii nihil mittebat, sed otiosus euentum rei expectabat. Quamobrem certò præuidens Annibal se illis in locis diutius manere non posse, ipsos etiam Brutios, tãquàm mox alienos futuros contemnens, grauibus tributis vexabat. Oppida natura munita, quasi defectionẽ molirentur, in planiciem traducebat: multos, vt in eorum fortunas inuaderet, falsis criminibus circunuentos opprimebat. Interea
153 Romæ consulatum ineunt Licinius Crassus & P. Scipio, domitis Hispaniis clarus. Crassus in Apuliam aduersus Annibalem profectus est. Scipio populum admonebat, Carthaginienses Annibalémque non prius Italia posse depelli quàm Romanus exercitus in Aphricam trans-

port.

portaretur, & domeſtico ipſi terrerentur periculo. Atque aſſiduè inſtando, cunctantéſque vrgẽdo, obtinuit vt ſibi Aphrica prouincia decerneretur. Tum nulla mora interpoſita, traiectis in Siciliam copiis, quum aliquantum temporis in colligendis atque exercendis militibus inſumpſiſſet, repente Locros Italiæ (vbi Punicũ erat præſidium ab Annibale impoſitum) aduectus eſt: oppreſſóque præſidio, & ad tuendam vrbem relicto Pleminio legato, in Aphricam tranſgreſſus. Verumenimuero Pleminius, nullo ſceleris aut infandæ cõtumeliæ aut crudelitatis genere in Locros non edito, ad extremum Proſerpinæ etiam templum ſpoliauit. Quare hunc Romani cum eiuſdem culpæ affinibus amicis in carcere necarũt, bona publicata Locris tradiderunt in theſauris Deæ reponenda. ſublatæ autem ſacrilegio pecuniæ partẽ quam potuere conquiſiuerunt: quod reſtabat, ex ærario publico placuit ſuppleri. Sub idem tẽpus Craſſus Conſentiam vrbem magnam Brutiorum atque aliquot oppida ab Annibale abſtraxit. Romæ etiam quum horrenda prodigia animos hominũ ſuperſtitione repleuiſſẽt, Decemuiri libros Sibyllinos adire iuſſi retulerũt, paucis abhinc diebus in Peſſinuntem vrbem Phrygiæ (vbi mater deorum colitur) de cælo aliquid caſurum quod Romam áduehi referret. Nec multo pòſt cecidiſſe nuntiatum eſt & Romam aſportatum deæ ſimulachrum. Et nunc quoque diem illum quo in vrbem illatum eſt, feſtum matri deorum celebrant. Fama eſt, nauem qua ferebatur, vado Tiberini fluminis hæſiſſe, nec vllo modo aut vlla vi potuiſſe moueri: & quum vates prædixiſſent ſecuturam ſi mulier ab omni alieno cõcubitu pura & caſta traheret. Claudiam Quintiã ſuſpectã ſed non ream adulterii (hanc verò opinionem de ſe excitarat nimio luxu) prius deam

154 pro ſuo peccato enixè obteſtatam, cingulo ſuo nauem

famam clariſſimo nomine mutauiſſe. Sed ante hoc Clau
diæ facinus, Romani Sibyllinis libris admoniti vt per
optimum totius ciuitatis virum ſimulachrum ex Phry-
gia accerſerent, iam eò miſerāt virum tunc temporis o-
ptimū iudicatum, Scipionem cognomento Naſicam, fi-
liū Cn. Scipionis, qui in Hiſpania imperator occubuerat,
& patruelem Scipionis, qui adempto Pœnis imperio pri
mus Aphricani nomen retulit. Hoc modo dea Romam
per viros & fœminas optimas adducta. Porroquum in
Aphrica Carthaginiēſes crebris præliis à Scipione vin-
cerētur, id reſciſcētes Brutii certatim ab Annibale deſci
ſcebant: eorúmque alii Punica præſidia obtruncabāt, alii
extrudebant. Qui neutrum poterant, clàm Romam miſ-
ſis legatis, ſaltem ſuam neceſſitatem & voluntatem de-
clarabant. Annibal Peteliam armato exercitu aduenit:
quam vrbem Brutii eiectis ciuibus ab Annibale tradi-
tam tenebant. Cum iis autem expoſtulabat quòd lega-
tos Romam miſiſſent. Quod quum ſedulò negarent, fin-
xit ſe credere: ſed vt omnem ſuſpicādi occaſionem præ-
cideret, potentiores ſeparatim aſſeruandos Numidis
tradidit. Arma populo adempta ſeruis præbuit quos vr
bis cuſtodiæ præpoſuerat. Necverò mitius in alias ciui-
tates quas adiit ſe geſſit. nam & Thurinorū bona militi-
bus diripienda exhibuit, præterquam trium millium ci
uium, quos Carthaginienſium cupidiſſimos norat, & ex
agreſti turba quingētorum: quos omnes, relicta vrbe in
poteſtate militum præſidiariorum, Crotonem traduxit:
quod oppidum propter opportunitatem, & horreum &
ſedem belli ſibi delegerat. Sed vbi à ciuibus (miſſo ob
id ipſum vt maturaret Aſdrubale claſſis præfecto) accer- 155
ſitus eſt vt periclitanti patriæ quamprimum opem con
tra Scipionem ferret, grauiter eſt de Carthaginienſium
perfidis ingratiſque in ſuos imperatores (vt qui diutius
erat expertus) animis cō queſtus: &, quia ipſe primus au-

ctor in Hiſpania huius belli fuerat,ſibi timere cœpit.Se-
qui tamen,quia parēdum erat,conſtituit, nauéſque mul
tas,affatim materiem ſuppeditante Italia, exædificauit.
Ac priuſquam ſolueret,ſociarum ſibique ſubditarumvr
bium,quas iam ceu hoſtiles oderat,expilationibus ac di-
reptionibus militem ſuum ditare conſtituit,vt eius be-
neuolentia tutus eſſet aduerſus ciuium calumnias. Sed
veritus ipſemet cōtra fidē æquitatémque ſocios violare,
aliena opera vti voluit, Aſdrubalémque claſſis præfectū
per ſimulationem cauſámque viſendi præſidia,per ciui-
tates dimiſit: qui ſingulas ingreſſus, iuſſis ciuibus vnà
cum ſeruis, ſublatis quas ferre poſſent ſarcinis aliò mi-
grare,reliqua diripiebat. Quare diuulgata, multi ante
aduentum Aſdrubalis in milites præſidiarios inſurrexe
runt: varióque euentu nunc oppidani, nunc milites vi-
ctoria potiebātur.Sic cædes ingens,tum matronarū ſtu-
pra, virginúmque raptiones, aliáque quæ captis vrbi-
bus vſuuenire ſolent,admittebantur. Annibal Italici ge
neris milites qui ſub ſe meruerant, haud ignarus ſtre-
nuos ac probè exercitatos eſſe,magnificis promiſſis ten
tauit in Aphricam ſecum pertrahere. Quorum qui ob
flagitia in patriam redire metuebant,voluntario exilio
ſeſe mulctātes ſecuti ſunt: ſed qui nullius facinoris ma
li ſibi conſcii erant,abnuerunt.Eos igitur qui remanere
quàm ſequi maluerūt,in vnū locū(quaſi vel ad eos ver-
ba facere, vel præmia rerū geſtarū repēdere,vel aliquid
in poſterū mandare vellet) cōuenire omnes iuſſos,repē
tè exercitu armato circūſepſit, ſuíſque imperauit vt ex
iis quot luberet mācipia deligerent. Fuere qui eligerēt,
alios puduit,cōmilitones,quibuſcū tot res geſſiſſent, ſic
in fœdā ſeruitutē protrudere. Qui reſtabāt,ne Romanis
vnquam cōmodare poſſent,omnes iaculis confixit. Ad-
hæc equorum quatuor millia, & iumētorum vim non 16

ri iussit. Posthæc imposito in naues exercitu, paucisque præsidii specie in agro Brutiorum relictis, ventum expectabat. At Petelini aliique Itali eos adorti, aliquot trucidatis aufugerũt. Sic tandem Annibal repetens Aphricam, Italia excedebat, quam totos sexdecim annos deuastarat, postquam miseros incolas infinitis ærumnis afflictos in extremum periculum sæpius adduxisset, Romanorúmque subditos & socios omnibus contumeliis affecisset. Nam quorum opera, non tam beneuolẽtia quàm necessitate coactus, vsus antea fuerat, quo tẽpore nihil in iis auxilii aut cõmodi esse sensit, ceu hostes, violauit. Annibale digresso Senatus Italicis omnibus populis, qui ad Pœnum defecerant, veniam dedit, resque omnes anteactas obliuione sempiterna delẽdas cẽsuit. Brutiis, quia ad vltimum promptissimi socii Annibali permanserant, pars agri adempta, armáque siqua restabant præter ea quæ Annibal prius eripuerat. Omni etiam militia, (vt qui ius libertatis amisissent) illis interdictum: & Romanos Consules in prouincias eũtes, ad publica munia obeũda, velut famuli, sequi iussi sunt. Hic fuit exitus expeditionis Annibalis in Italiam, & huius belli Punici annus secundus & quinquagesimus.